





Ext. 52.  
Part. 2  
No. 9

IN LIBROS  
S. BERNARDI ABBATIS  
DE CONSIDERATIONE  
COMMENTARII  
*Critici, Morales, Politici*  
AUCTORE  
D. JOANNE SIANDA  
A' MONTE REGALI  
Abbate ex Ordine Cisterciensi  
*Congreg. S. BERNARDI Assistente Generali*  
TOMUS PRIMUS.



ROMÆ, ex Typographia Antonii de Rubeis. 1749.  
SUPERIORUM PERMISSU.

IN LIBROS  
S. BENEDICTI ABBATIS  
DE CONSIDERATIONE  
COMMUNICARI  
Quidam, Aliusq[ue]s, Postea  
Vestigia  
D. JOANNIS SAINTE  
A. MONTI REGALI  
Yppos ex Orligne Chiffrejus  
Gloria et Virtus, Alioquin Generis  
TOMUS PRIMUS



ROMA ex Typographis Antonij de Ryperis, 1710.  
SUBSIDIORUM PER MILITIA

SANCTISSIMO DOMINO  
**BENEDICTO XIV.**  
P. O. M.



*Nter Doctores Ecclesiæ , si  
quis de Petri Cathedra,  
ad quam ingenti Urbis , & Orbis plau-  
su concendi B. P. optimè meruit ,*

rectissimè sensit, obsequentissimè locutus  
est, magnificentissimè scripsit, hunc es-  
se D. Bernardum, non relinquitur am-  
bigendi locus, ejus libros de Conside-  
ratione percurrenti, in quibus conscri-  
bendis fuit planè mirabilis; tot enim  
penè oraculis, quot verbis refertum hoc  
opus, & in eorum subsidium editum,  
quibus, vocante Deo, commissum est gra-  
ve Regimen Ecclesiæ, locatu villi-  
catio vineæ Domini, non immeritò  
quis senserit. In his libris, quasi in spe-  
culo, veri Pontificis effigies, qualem se  
exhibet S. V. contemplari facile potest.  
Enim verò à Divina Providentia, in-  
ter præsentes Orbis ambages, assump-  
tam S. V. veneramur, in qua elucet in-  
genium amplissimum, judicium purgatis-  
simum, prudentia singularissima libe-  
raliter à Deo concessa, quibus nobilis-  
simis dotibus, jam pluribus abhinc sæ-  
culis, suis in proavis cumulatum sem-  
per enituit INCLITUM LAMBERTINI SANGUI-  
NIS GERMEN; cui ne quid decoris unde-

qua-

quaque desiderabilis deficeret , etiam  
addidit Altissimus sanctitatis insignia ,  
in B. IMELDA mirabiliter fulgentia .  
Quapropter S. Vestræ , nunc feliciter  
regnanti additum ad Pontificium So-  
lium , effusis abundè nobilioribus doti-  
bus , non modò paravit natura , sed  
reseravit & gratia . Felix Principa-  
tus , ubi naturæ , & gratiæ donis cu-  
mulatus regnat Princeps ; non nisi au-  
reum sperare juvat regimen , Bonum  
Principem , boni perficiunt Consiliarii .  
Optimus (quodad vixit) Principum Con-  
siliarius fuit Bernardus , à cuius ore  
sui Ævi Principes , imò & Pontifices  
pendere visi sunt . Loquuntur adhuc in  
præsens saluberrima S. Doctoris moni-  
ta , quæ sœpè animo repetere consue-  
verunt Sanctissimi Prædecessores San-  
ctitatis Vestræ , crebrò legentes aureos  
libros de Consideratione , in quibus non  
modò multa , sed & omnia perstrin-  
guntur , quæ optimi regiminis normam ,  
cuicunque ad Pontificium Principatum

assumpto, possunt exhibere. In his itaque de Consideratione libris (ut linguis loquar alienis) Deuteronomium Summorum Pontificum *sistō tibi*, tuis pro volutus pedibus B. P., opus inquam illud, quod tot Sanctissimi tui Prædecessores habuere in deliciis, inter quos potissimum recensentur Nicolaus V., S. Pius V., Gregorius XIII., Urbanus VII., Gregorius XIV., Clemens XI. qui libros de Consideratione ita frequenter in ore habebant, ut omnes Ecclesiasticos, & singulariter Præfules, ad eorumdem lectionem sæpen numero adhortarentur. Sed & Carolus V., inter summas Imperialis regiminis vexationes, in lectione libri de Consideratione quærebat solatium. Reverè quæ Viro Ecclesiastico, quæ Præfule, quæ Principe dignior lectio, hisce de Consideratione libris, potest præferri, in quibus videre est S. Bernardum omnibus omnia factum; modò cautum Æconomum, modò sollicitum Patrem, mo-

dò fidelem Monitorem, modò serium  
Præceptorem, jam Ascetam, jam Politicū,  
nunc Consiliarium, nunc Theologum. Hunc itaque celeberrimum librum,  
iterum sisto tibi B. P. meis  
quantuliscumque considerationibus interjectis: Qua in re temeritatis, &  
audaciæ labem non immerito time-  
rem, nisi eam summæ benignitatis  
tuæ, quæ pateris pusillitatem meam,  
loqui ad Dominum, abundantior ve-  
na dilueret. Rudes profecto, & in-  
dignas tanto operi inseri consideratio-  
nes exhibeo, sed parce B. P. parce præ-  
cor D. Bernardi Filio, qui in hisce  
Commentariis, gloriofissimi sui Patris  
gloriam à maliloquis linguis vindicare  
aggreditur. Quam perperam plu-  
ribi ab Hæreticis extorqueantur Melliflui Doctoris sensus, in quinque libris  
de Consideratione expressi, vix est qui  
ignorare valeat. Proinde ad eumdem  
Sanctum Doctorem, suis à calumnia-  
toribus vindicandum, licet impar, ad

boc

hoc Commentariorum opus , manus ad-  
movi ; Amor itaque , indigni licet filii ,  
in Sanctissimum Protoparentem , assüm-  
ptæ temeritatis veniam exposcit à San-  
ctitate Vestra , quæ pro decore domus  
Dei , & observantia disciplinæ Eccle-  
siasticæ suum Sanctissimum exerit ze-  
lum . Ad restaurandas in Ecclesia san-  
ctiones Canonicas , ad promovendos Ca-  
tholicos mores , ad erudiendos pro suo  
munere Episcopos , omnesque Ecclesia-  
sticos , vix efficacior lectio exhiberi po-  
test , quam opus de Consideratione , à  
S. Bernardo ad Pontificem , sed non  
propter Pontificem ( ut ipse S. Doctor  
perhibet lib. 3. de Consid. cap. 3. ) scri-  
ptum . Ad te proinde scripserim ista ,  
sed non propter te . Quæ igitur scri-  
psit S. Abbas , tām opportuna nostris  
temporibus , iterum audeo in lucem  
prodere , interjectis tenuitatis mēae Com-  
mentariis , quibus compendiosos S. Do-  
ctoris sensus , pro modulo meo captu ,  
interpretari assumo . Ex alto Pontifi-

catus solio parvitatem muneris, & offerentis respicere ne dedigneris B. P. quem summo totius Catholici gregis jubilo, Pastorem destinavit Omnipotens, hoc ævo, quo Petri navis vexationum fluctibus undequaque concussa, sub vestro sanctissimo regimine tranquillitatem auspicatur. A Domino utique factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, quod in Sanctitatem Vestram statim electorum vota unanimiter converint, quæ jam ad plures menses inter se discrepabant. Sed consilium fuit Altissimi, cuius judicia abyssus multa, protracta ad plures menses electione, ut scilicet in electione S. V. obstrueretur os loquentium iniqua, & manifestè intelligerent homines, quod solus Dei digitus est hic; & sola opulante Spiritus Sancti gratia, ad Petri Solium conscenditur. Intelligent hæc, & confundantur Hæretici, non Divino, sed humano consilio, Summi Pontificis electionem fieri blaterantes.

To. I.

b

lius

lius Dei hanc esse providentiam , non  
hominum prudentiæ , in Vocatione San-  
ctitatis Vestræ , apertis notis comprobat  
experientia ; & hoc eò magis , quod  
juxta temporum , & Ecclesiæ indigen-  
tias , Summo Sacerdotio semper aptas-  
se Deum homines compertum est . Hinc  
à Deo factum est , ut hac nostra ætate ,  
quà non modicum languet disciplina  
Ecclesiastica , præficerit Ecclesiæ suæ Alt-  
tissimus Pontificem , decoris Domus Dei  
zelatorem eximium , undè fiduciam ha-  
bet talem , in Sanctitate Vestra Eccle-  
sia Sanctorum , de quorum Canoniza-  
tione adeo est benemerita , ut per Vos  
speret renovatam Sacrorum Canonum  
observantiam , cui opere , & sermo-  
ne , atque eruditissimis elucubrationibus  
Sanctitas Vestra adeò se addidam sem-  
per comprobavit ; atque hoc eò magis ,  
ex quo B. P. ad Petri Cathedram af-  
sumptus , Religionis Catholicæ modera-  
tor summus constitutus , arctiore quo-  
dam vinculo , Catholicæ Religio com-  
ple-

plexa est Sanctitatem Vestram in universalis Ecclesiæ Caput, quod idem est ac dicere, in Dominici ovis Pastorem, Catholicæ sapientiæ Doctorem, Ecclesiasticæ disciplinæ Magistrum, controversiarum omnium in quæstionibus fidei, & morum Judicem, Ecclesiæ thesauri dispensatorem, assertorem veritatis, fidei Defensorem, Doctorem gentium, Christianorum Ducem, Amicum Sponsi, Sponsæ Paranyphum, Cleri ordinatorem, pauperum Advocatum, afflictorum solatum, Tutorem pupillorum, ultorem scelerum, malorum Metum, bonorum Gloriam, Virgam potentium, legum Moderatorem, Canonum Dispensatorem, Sal terræ, Sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini. Faxit Deus, ut sicut in Sanctitate Vestra dignissimum, veneratur Ecclesia Petri Successorem, ita & obsequentissimos se exhibere studeant filios, quotquot sub S. V. dulcissimo regimine sortiuntur lucem; statim

videre erit reflorescentem disciplinam Ecclesiasticam, reformatos mores, sacrorum Canonum restauratam obseruantiam, hostium Ecclesiæ manus dissolutas, destructa impiorum perversa consilia, bellorum metum ad nihilum redactum, veræ religionis cultum adaudum, Fidei Orthodoxæ semitas dilatatas, & omnes cogitationes, quas pro Ecclesiæ incremento, & pace incessanter cogitat Sanctitas Vestra, ad exitum felicem perducetas; dignas utique Vestro Nominе, Vestro Nobilissimo Genere, ferventissimo zelo, solidissima pietate, humanissimis moribus, ad quorum normam sufficit si se componere studeant Ecclesiastici, ut in omni sanctimonia Clerus reflorescat, & ut quemadmodum Sanctitas Vestra peroptat, per Orbem universum reviviscat disciplina Ecclesiastica, circa quam ferè totus liber de Consideratione evolvitur in Dei honorem, & Ecclesiæ gloriam, cui ut sospitem per annos multos Divina Cle-

*mentia conservare dignetur talem ac  
tantum PONTIFICEM MAXIMUM, enixè pre-  
catur Monacorum minimus.*

Humillimus, Obsequientissimus, & Addictissimus Servus  
D. Joannes Sianda Ord. Cist. Mon.

*Epi-*

inventio confitit gloriatur. Et  
tunc Pontificum MAXIMUM, cuiusque  
cuiusque. Venerabilis munus  
etiam hunc suam etiam diffi-  
cilem et pericularem operem ut  
pudicum est et rursum re-  
mota. Tunc vero etiam etiam  
sum. Eidei Cithara sonatas libe-  
tatem. Et natus Christianus, que  
libet haec sententia. Et puer  
et reges. Quodcumque. Vixit  
tunc felicem perdulit. Et non rursum  
Puer. Homo. Malleo. Non. Tunc  
admodum. Similis. Pella. Cyprianus.  
Ordo. universum. omnes. fuit. ut. sapientia  
et. filius. et. dicit. Et. hoc. tunc  
de. Consideratione. credimus. De  
militum. Opere. de. tunc. Et. Venerabilis  
D. dominus. tunc. O. et. C. tunc.

# *Epistola ad Lectorem.*



Nter plurima , Cisterciensis Ordinis  
Taumaturgi, Melliflui Ecclesiæ Do-  
ctoris Sancti Bernardi Opera , quibus  
tanquam sol , corruscantibus cumu-  
latus radiis , resulxit Vir Sanctus in  
Templo Dei , & Mundum illustravit universum ,  
saniorum virorum judicio , nullum extat Bernardo  
dignius, quàm opus de Consideratione, ad Eugenium  
inscriptum , quinque libris absolutum : *Ex Mabil.  
præf. in tom. 2. oper. S. B.* si enim argumenti , *et*  
personæ dignitatem species , nihil generosius ; si modum  
tractandi , nihil sublimius : si styli majestatem , *et*  
sententiarum gravitatem nihil eloquentius , ac fortius,  
si denique dictorum puritatem , *et* inhærentem sacris Ca-  
nonibus disciplinam , nihil Catholico Doctori , *et* San-  
ctissimo Patri convenientius . Hæc sanè fuit hujus præ-  
stantissimi operis felicitas , quod unctione magistra,  
potius , quàm humanæ mentis robore , absolvit S. Ber-  
nardus , & tanta fuit divinitus concessa huic operi  
auctoritas , ut quamprimum libri de Consideratione  
in publicum prodiere , eos certatim exquisierint , le-  
ctitarint , amaverintque universi . Supervacaneus ef-  
set labor cumulare Testes omni exceptione majo-  
res , à quibus tanti Doctoris sapientia est commen-  
data , cum difficilè sit , non modo celebrem scri-  
ptorem sacrum , sed virum , aut à pietate , aut à  
dignitate insignem invenire , qui doctrinæ mellifluæ

fluæ commendator non extiterit: eorum testimonia sigillatim adducere, rem nimis in longum protraheret; plura ex his à Jacobo Horstio in introductio-  
ne ad opera S. Bernardi simul congesta, percurrere poterit studiosus lector, ubi non sine admiratione est animadvertere, cujuscumque status, ordinis, dignitatis, sexus, conditionis Homines, Pontifices, Cardinales, Episcopos, Imperatores, Reges, Principes, Viros, ac Fœminas, Theologos, Philosophos, & quod omnem admirationem excedit, Hæreticos ipsos, unanimes fuisse mellifluæ doctrinæ Sancti Bernardi amatores, admiratores, & encomiastes.

Porrò quām liber in voce, quām disertus in sententiis, quām locuples in rerum Superiorum inferiorumque scientia extiterit S. Bernardus, nemo non novit, qui ejusdem opera, vel leviter delibavit. Spectetur ejus vita, meditentur ejus scripta, certè non nisi stimuli pietatis, & viva virtutum exempla nostris fese oculis ingerunt: sunt efficacissima freна nequitiæ, potentia calcaria pietati, quæ nobis reliquit S. Doctor, Divinæ pietatis, ac sapientiæ monumenta, quorum plura inedita vel desiderant, vel temporum injuriâ collapsa, meritò lacrymantur omnes sapientiæ candidati. Præter illa, quæ in ultimis editionibus, studio, ac labore Horstii, & Mabilonis, publici juris sunt facta, plura adhuc extant Opera Sancti Bernardi hactenus inedita. Mirare lector sanctum Virum tot laboribus pro Ecclesia Dei perfunctum, toties ex Romani Pontificis

ficiis jussu, à suæ dulcis Rachælis amplexibus, id est  
à Claravalle avulsum, ut Italiam peragraret, ut  
dissidia inter Regnum, & Sacerdotium compone-  
ret, ut nutantem inter schismata Petri navim suis  
eruditionibus, consiliis, ope, prudentia, doctrina,  
ac pietate firmaret, ut dissidentes Christianos ad  
pacem revocaret, ut opem, parata expeditione sacra,  
Terræ Sanctæ ferret; Mirare inquam, sanctum vi-  
rum, inter tot negotia, adhuc otia invenisse, ut se-  
cundum sapientiam sibi à Deo datam, tot tantaque  
scriberet, ad erudiendos omnes, in quocumque statu  
constitutos, adeo proficia; ut meritò dixeris patuif-  
se os ejus ad omnes, & omnibus fuisse omnia fa-  
ctum. Pontifices eum venerantur, tanquam magni  
consilii Angelum, Cardinales, Præfules, Ecclesia-  
sticique omnes, tanquam Mystagogum amplectun-  
tur. Principes sæculi, militiæ Duces, & milites ab  
eo suscipiunt munera sui, ac militiæ secundum  
Deum gerendæ leges, ac monita. Conjugati, Ci-  
vies, Mercatores, & ipsa plebs rustica, singuli con-  
grua vitæ suæ documenta capiunt. Matronæ, uxo-  
res, viduæ, Deoque devotæ virgines, pudicitiæ,  
ac castitatis ab eo regulam sumunt. Juvenes, ac pue-  
ri, modestiæ, ac pietatis stimulos in ejusdem operum  
lectione sentiunt, itaut de eodem meritò dixeris,  
quod exultaverit ut gigas ad currēdam viam, &  
nemo sit, qui se abscondat à calore ejus.

Sed quid juvat laudum præconia Divo Ber-  
nardo contexere, ubi digniori laude ipse se sonat,  
& laureatus spiritu, scriptis suis coronatur: *Dre-*

xelius e Soc. Jesu in Antifodina : Bernardi effigiem  
videre cupis ? Scripta intuere , verbis disertus , senten-  
tiis venustus , rebus abundans , sensu , ac suco melio-  
re plenus , eloquio suavis , & stillans mella , assidua  
veritatis semper amantissimus , docet , stringit , movet ,  
persuadet , expugnat : elucet in ejus scriptis ingenium ,  
natura , nobile , generosum , devotio , humilitas , sty-  
lus suavis , & verè mellifluus , cogitatus sublimes ,  
ita ut quidquid mirabile in aliis Sanctorum Patrum  
operibus est dispersum , in Sancti Bernardi libris con-  
gregatum , prestò sit invenire . Ardet non urens ,  
sed inflammans ; pungit , & stimulat , non ut irri-  
tet , sed ut moveat . Corripit , increpatque , non ut  
detrahat , sed ut attrahat . Arguit , minatur , terret ,  
sed amando , non indignando . Blanditur sed non  
adulatur , laudat sed non extollit . Urget blandè ,  
perstringit absque molestia , delectat , recreat , pla-  
cket . Quippe oratio ejus , inquit *Sixtus Senensis* ,  
ubique dulcis , & ardens ; ita delectat , & arden-  
ter incendit , ut suavissima lingua ejus mel , & lac  
verborum fluere , & ex ardentissimo ejus pectore ,  
ignitorum affectuum incendia erumpere videantur .  
Hæc omnia orationis ornamenta , præcipue in quin-  
que libris de Consideratione , simul collecta cum inve-  
niantur ; jam mirum non est , si editiones eorum sine nu-  
mero fiunt , si legantur , & terantur ab omnibus , si an-  
te usum Typographiæ , repetitis vicibus , Summorum  
Pontificum jussu , elegantissimè descripti , & post ad-  
inventum Typographiæ usum , Pontificiis , Regalibus ,  
& celebrioribus totius Orbis Typis publicati fuerint .

Cum

Cum itaque opera Sancti Bernardi , sed potissimum libri de Consideratione , tantæ estimationis , & auctoritatis semper apud omnes fuerint , etiam apud ipsos Heterodoxos ; Hinc factum est , ut Hæretici ad sua confirmando sophismata , ad suos stabilendos errores , ad sua comprobanda figura-nt , præcipue S. Bernardi testimonia , ex libris de Consideratione selecta , sed in pravum sensum ab iisdem extorta , congregaverint . Hæc mihi , non sine animi moerore meditanti , occurrit animo loca ab Heterodoxis adducta , ex operibus S. B. collecta , in pravum sensum extorta , aliis S. Doctoris textibus , ex reliquis Sancti Bernardi operibus depromptis , ad Hæreticorum malitiam confundendam , & Sanctum Patrem ab eorum extorsione vindicandum , ita explanare , ut constaret omnibus Hæreticorum malitia , & illibata Sancti Bernardi innocentia . Quandoquidem quid de præcipuis Horthodoxæ Fidei capitibus Bernardus senserit , scripta ejus abunde testantur ; sed & si nihil literis commendasset , ipso vitæ tenore satis ostendit , cui Ecclesiæ adhæserit , quam à moribus , & doctrina Hæreticorum vixerit alienus , quorum in vita , & post mortem malleus meritò potest nuncupari .

Jam ad meditatum opus manus admoveram , & pro modulo meo captu prosequabar (quod opus supra libros de Consideratione non modicam considerationem exigebat ) , cum ex hac speculatione , pro modulo meo captu admiratus sum , quam multi thesauri scientiæ , ac sapientiæ essent in his libris abscon-

diti , qui proindè non modò totius Christianæ Philosophiæ summa possent meritò nuncupari , sed etiam constat esse promptuarium , ex quo potiores maximæ politico-morales , ad erudiendos in vera sapientia , pro suo munere Principes , atque Præfules , imò cùjuscumque gradus , & dignitatis viros , tam Ecclesiasticos , quām Sæculares educi poterant . Sed impares tanto oneri subeundo vires meæ , quò minus ad opus accingerer , diù me retardarunt . Quis enim sum ego , intra me tacitus considerabam , quis inquam , sum ego , ut valeam referare sapientiæ thesauros , qui in libris de Consideratione sunt absconditi , quos unctione magistra , Magnus Ecclesiæ Doctor melleus Sanctus Bernardus conscripsit ? Quis sum ego , ut quodammodo stare audeam , & loqui in conspectu Regum , Prælatorum , & Principum ? quoniam de ipsis potissimum , juxta præsentis operis institutionem , habendus est sermo ? Ab assumpto opere etiam me removebant aliæ , non parvi ponderis , Considerationes ; mecum enim tacitus considerabam , tot esse clarissimorum virorum elucubrations in lucem editas , ut vix jam possit in Republica Literaria , publici juris quid fieri , quod aliis in voluminibus , saltem dispersum , non sit invenire ; proindè verebar , hujus impressione operis , communis notari proverbio , non scripsit , sed transcripsit ; non enim nisi impune negarem , plura documenta politica , moralia , legalia , canonica , theologica in hoc opere collecta , aliis in operibus , feliciter gravissimorum auctorum labore exantlatis , inveniri dispersa . Nihilomi-

Iominus negari itidem non potest, quod varii flores  
dispersi, artificiosa dispositione in unum fasciculum  
coaptati, quodammodo venustiores se exhibent in-  
tuentium oculis, & tertia quadam gratiori suaveo-  
lentia, quam dispersi non effundebant, mulcere,  
odoratum ... Insuper cum mei operis scopus non fue-  
rit erudire Minervam, sed D. Bernardum, illis in lo-  
cis, ubi genuinus ejus sensus statim legenti non sit  
obvius, imò ab Hæterodoxis pravum in sensum ex-  
torquetur, à malignantium calumniis vindicare; Ne-  
que hoc opus à quoquam fuerit hactenus assumptum,  
arbitrabar, præsentis absolutione laboris, vel quid no-  
vi posse in medium proferre. Esto quòd D. Bernar-  
dum à novatorum calumniis vindicare non possem,  
nisi mutuatis à selectissimo promptuario eruditissi-  
morum auctorum armis; pugnat tamen, & novo  
labore pugnat, quisquis armis, sive propriis, sive  
mutuatis in arenam descendit. Hoc inductus mo-  
tivo, credidi etiam patienter me audituros de super-  
fluitate causantes; auctoribus enim reddidi quod ab  
ipsis mutuatum accepi. Ceterum materia, de qua in  
hoc opere agitur, valdè proficia, & si meo inculto  
stylo, velut atro habitu vestita appareat. Cum autem  
non omnia quæ scribuntur, ad omnium manus per-  
veniant, utile est etiam plura transcribi, ut facilius  
sub plurium oculis cadant. His, & aliis quatumvis  
convictus rationibus, nihilominus semper timens,  
quòd hoc meum qualemque opus in eorum manus  
incideret, quorum modernum studium totum est in  
suggillationem criticam operum, quæ de novo pro-  
deunt

deunt, adhuc per sexennium ex quo, ut opus luci concederetur Superiorum fulcitum erat permisso, distuli typis consignare, usque dum omnem tandem vicit timorem, & verecundiam desiderium, quantum in me est, dilatandæ gloriæ Melliflui mei Patris, cuius fretus patrocinio, opus tandem aggressus sum, quod dudum parturiebat Animus. Si quid in ope-  
re utile, vel dignum præstiti, Sancti Patris Bernar-  
di favori, & Patrocinio debo; si quid minus, &  
impar dignitati operis, uti factum haud dubiè, id  
totum, & solum tenuitati, imò temeritati meæ im-  
putandum, profiteor.

Sed hac saltem utilitate fraudari non poterunt  
mei qualescumque labores, ut per eos hoc ævo ad plu-  
rium manus perveniant libri de Consideratione, quo  
cum non modicum collapsa videatur disciplina Eccle-  
siastica, ad eandem restaurandum, non efficaciora  
exhiberi possunt remedia, quam si Sancti Bernardi,  
Ecclesiasticæ disciplinæ zelatoris eximii, documenta  
proponantur. Negarit nemo, ad Ecclesiasticæ disci-  
plinæ servandum decorem, superstites S. Bernardi  
libros, sed præcipue ab eodem de Consideratione in-  
scriptos, hactenus efficaciter loqui, quæ olim ipse  
Sanctus Bernardus vivæ vocis oraculo intrepidè do-  
cuit; libertate Evangelica semper Ecclesiæ, & Sa-  
culi Proceres ipse est allocutus, qui eo vivente ejus-  
dem se disciplinæ, vel consiliis libentissimè submise-  
runt; ab eodem doceri parati, cuius os meditari sa-  
pientiam, & linguam loqui judicium profitebantur.  
Hos itaque, juxta omnium estimationem, tanti mo-  
menti

menti libros de Consideratione, insertis meis quan-  
tuliscumque commentariis, iterum in lucem proferre  
aggreder. Sed quia plurimum refert in promulgan-  
dis operibus, ordinem sequi, ut ex ordine claritas  
sequatur, & perspicuitas; cum in quinque libros  
opus de Consideratione jam sufficienter fuerit à San-  
cto Bernardo divisum, hac partitione retenta, singu-  
la librorum capita in sectiones, juxta aliorum com-  
mentatorum morem, partitus sum; præmisso ad unum-  
quodque caput compendio eorum omnium, quæ in  
capite ipso continentur. Sed quia, quod ad capitum  
partitionem spectat, juxta diversas horum librorum  
editiones, diversas etiam sortiuntur libri de Consi-  
deratione partitiones in capita; partitionem sequu-  
tus sum à Gerardo Vossio factam, qui eosdem libros  
jussu Clementis VIII. edidit ad veritatem octo MSS.  
Codicum Vaticanorum, & aliorum recognitos, &  
emendatos, necnon in capita secundum distinctio-  
nem MSS. exemplaris Nicolai Papæ V. quod in Va-  
ticano est, ab eodem redactos. Divisit autem San-  
ctus Bernardus in quinque libros universum opus de  
Consideratione, quia quinque diversa argumenta  
pertractanda sibi proposuerat, quæ tamen omnia ad  
unum finem collimant, nempe ad erudiendum, pro  
suo munere, tam interno quam externo Summum  
Pontificem, cuius nutibus obtemperaturus, ad opus  
utique arduum manum admovit, eodemque Ponti-  
fice jubente opus persolvit, in cuius primo libro de-  
monstratur considerationis necessitas, & utilitas; in  
secundo considerantur, quæ in Pontifice, idest Pon-  
tifex

tifex ipse , quis , qualisque sit ; in tertio , quæ sub  
ipso , idest orbis universus ; in quarto , quæ circa  
ipsum , Domestici , Cardinales , Episcopi ; in quin-  
to , quæ supra ipsum , Deus , & Angeli . Circa  
tempus , quo libri de Consid. scripti sunt à Divo  
Bernardo , arridet præ cæteris Mabillonis sensus ,  
quem exprimit in Præfatione ad libros de Conside-  
ratione his verbis : *Hoc anno MCXLIX. parturire  
cœpit S. Pater , nec uno tenore (ut Baronio visum  
est) absolvit ; sed diversis intervallis scriptos ad Eugen-  
nium transmisit , & primum quidem ipso anno MCXLIX.  
de quo Nicolaus ejusdem Sancti Bernardi Notarius , an-  
te suam discessionem scribens Petro venerabili : mitto  
vobis , ait , Librum Domini Abbatis Claravallis ad  
Dominum Papam . Extat hæc epistola apud ipsum  
Petrum , in libri sexti , Epistola septima . Neque hoc  
loco , libri nomine integrum opus (ut auctores isti  
loquuntur passim , teste Eraldo , qui librum multæ  
utilitatis , hos quinque libros vocat) intelligi potest ;  
nam librum secundum Bernardus Eugenio direxit  
anno MCL . post infelicem expeditionis Jerosolimita-  
næ exitum , de quo in ipso libri exordio Apologiam  
præmittit ; Tertium anno MCLII . post obitum scili-  
cet Hugonis Antisiodorensis , ut constat ex capite  
secundo ; & anno quarto post Concilium Rhemen-  
se , anno MCLIV . celebratum ; Quartum denique , &  
quintum paulo post , si non cum tertio absolvit . Ali-  
qua etiam , circa variam lectionem horum librorum ,  
juxta varia exemplaria MSS. quæ inveniuntur in  
celebrioribus Bibliothecis , notanda occurunt . Cum  
ita-*

itaque, ut supra innuimus, libri Sancti Bernardi de Consideratione, ab omnibus eruditis expetiti, etiam sæpè fuerint scripti, & rescripti: Factum est, ut in diversis MSS. diversæ lectiones occurrant, sed accidentales sunt variationes, nihil enim obvio patiuntur in sensu; in hoc enim omnia exemplaria MSS. quæ colligere potuit Gerardus Vossius concordant. Hisce in libris arduas, & perdificiles materias tractandas exhibet S. Bernardus, in quibus discutendis, si fortè quid minus sensi, Te rogatum velim Lectorem benevolum, ut pro tua humanitate, intellectus mei imbecillitati ignoscas. Sæpè contra corruptelam morum, irrepentes abusus, invalescentem mondannam politiam, non raro ab Evangelicis institutis, & SS. Patrum placitis diffonantem, calatum acuere, S. Doctoris verbis inherendo, necesse fuit. Si quidpiam proindè in hisce commentariis occurrat, quod alicui displicere posse contingat, contra pravos mores, non contra pravorum morum cultores scripsi. Ceterum, èà quā decet monastica humilitate paratus sum, quæ in his commentariis inserui, cujuscumque fanius sapientis judicio submittere, & emendanda corrigere. Quæcumque in operibus meis, sive jam typis consignatis, sive consignandis continentur, Sacræ Romanæ Ecclesiæ judicio submitto, nunquam enim ab èà dissentiam, in cuius sensu, cuicumque feliciter vivere in æternum cupienti, restat fideliter mori. Vive felix.

IMPRIMATUR,  
Si videbitur Rmō P. Magistro Sacri Palatii Apost.  
F. M. De Rubeis Archiep. Tarsi Vicep.

---

APPROBATIO  
ILLUSTRISMI ET REVERENDISSIMI  
D. JOANNIS ANDREÆ TRIA

Archiepiscopi Tyri, Sanctissimi D. N. Papæ Prælati  
Domestici, ejusque Pontificio Solio Assistentis, Univer-  
salis Inquisitionis de Urbe Consultoris, S. Pœni-  
tentiariæ Correctoris, & ad Episcopatum  
Promovendorum Examinatoris &c.

PRESENTIUM Commentariorum Authorem Reverendissi-  
mum Abatem D. Joannem Sianda à Monte Regali de  
Republica Literaria, ob vulgata ab eo opera beneme-  
ritum, quorum aliqua iterato edita, alia in Ita-  
licam linguam fuere traducta, ut plurimum, ea expe-  
tentium desiderio fieret satis, in hisce Commentariis,  
quæ attente, & non sine animi voluptate perlegi, dul-  
ci, sententioso, & scripturali stylo melliflui sui Patris  
dignum se exhibuisse Parafrastem, quisquis attente per-  
volvet, ingenuè judicabit. Monita Sancti Doctoris ad  
Pontificem, sed non propter Pontificem, ut ipse San-  
ctus Doctor protinetur, scripta, qualiter omnes tam Ec-  
clesiæ, quam Saeculi Proceres afficiant, luculenter di-  
scernitur. Propterea veras maximas morales, & poli-  
ticas, quibus inherere debent qui aliis regendis præfi-  
ciuntur, hic in unum congregas collegit inoffensa fide,  
moribus, atque Principibus. Ideoque publicæ luci ex-  
ponendum præsens opus, quantum ad me spectat, sentio.  
Dabam Romæ 4. Martii 1749.

Ioannes Andreas. Archiepiscopus Tyri &c.

AP-

A P P R O B A T I O  
ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI  
D. STEPHANI EVODII ASCEMANI  
ARCHIEPISCOPI APAMENSIS

R Everendissimi P. D. *Joannis Sianda*, Abbatis, & Assistentis Generalis Ord. Cist. Congregationis Sancti Bernardi, viri à literis, studiorumque suorum vigiliis commendatissimi, omnigena eruditione præclarum opus, cui titulus : *In Libros S. Bernardi Abbatis de Consideratione Commentarii Critici, Morales, Politici*: summa cum animi voluptate perlegi : nihil in eo offendit, quod me legentem moraretur. Ita Catholicæ doctrinæ atque disciplinæ optime consonant omnia ; & Sancti Bernardi monita salutaria, in libris de Consideratione contenta, Clarissimus Author scitè prudenterque explanat. Quantocytus igitur typis committi posse, ac debere non modo censeo, sed etiam atque etiam opto opus egregium, utilitate, ac singularitate laboris, quod ad Christianam disciplinam confirmandam promptuarium meritò dixeris.

Dabam Romæ e Vaticana Bibliotheca Kalendis Januarii  
1749.

*Stephanus Evodius Ascemanus Archiepiscopus Apamenfis.*

REVERENDISSIMI PATRIS  
D. FRIDERICI DE JUDICE

*Abbatis Cælestinorum, ac in Romano Archigymnasio  
Sapientiæ Sacrorum Dogmatum Professoris*

APPROBATIO.

Cum Reverendissimus Pater Aloysius Nicolaus Ridolfi  
Sac. P. A. Magister, Opus, cui titulus: *In Libros*  
*de Consideratione Commentarii, critici, morales, politici*, duobus Tomis distinctum meo examini commis-  
serit, libenter illud perlegi. Cumque in eo Reverendissimus Pater Abbas Sianda Auctor Religiosissimus, nedium  
vitaverit quicquid rectam fidem, vel bonos mores offendere posset, sed etiam uti addictissimus filius æmulatus  
sit zelum SS. Parentis sui Bernardi; necnon effuderit eam  
doctrinam, & eruditionem, quibus alia ejus opera sunt  
referta. Ideo quemadmodum illa, ita hoc publica luce dignum censeo.

Romæ ex Collegio Cælestino 27. Aprilis 1748.

Ego D. Fridericus de Judice Abbas Cælestinorum, ac in  
Romano Archigymnasio Sapientiæ Sacrorum Dogmatum  
Professor manu propria,

REVERENDISSIMI PATRIS  
JOANNIS FRANCISCI BALDINI

Cleric. Regul. Cong. Somaschæ Præpositi Generalis

S. Congregationis Rituum Consultoris

APPROBATIO.

**L**egi, mandante Reverendissimo P. Aloysio Nicolao Ridolfi S. Palatii Apostolici Magistro, *Commentaria in Libros de Consideratione ad Eugenium III.* a Reverendissimo P. Abate D. Joanne Sianda Ordinis S. Bernardi conscripta. Et quum nihil in illis offenderim, quod Catholicæ Christianæ Fidei, aut bonis moribus adveretur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur, typis edi posse censeo.

Romæ ex Collegio SS. Nicolai, & Blasii hac die prima Decembris 1748.

D. Jo. Franciscus Baldinus Cl. Reg. Cong. Somaschæ.

---

IMP R I M A T U R .

Fr. Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sac. Palatii Apostolici Magister.

**M**Andatis Reverendiss. P. V. obtemerans, Opus in-  
scriptum = *In Libros de Consideratione Commenta-  
rii* = à P. Abate D. Joanne Sianda nostræ Congre-  
gationis Assistente secundo compactum, ea qua decet  
attentione perlegi, & recognovi, & cum nihil in eo  
contra Fidem, Principes, & mores repererim, illud ap-  
probare non dedignor, imò quantum mihi licet, typis  
mandari posse expressè arbitror; ut doctrina Sanctissi-  
mi Patris nostri, & Ecclesiae Doctoris melliflui in suo  
legittimo sensu explicata, plurimaque eruditione refer-  
ta, magis magisque fulgeat, omnibusque prodeat. In  
cujus attestationis fidem præsentes litteras dedi, & pro-  
pria manu firmavi hac die 19. Augusti 1748.

*D. Paulus a S. Marco S. Congregationis Indicis Consultor,  
& Monasterii SS. Fabiani, & Sebastiani Abbas.*

IMITATOR.

Ego

**E**go infrascriptus mandatis obediens Reverendissimi Patris Hieronymi a Sancto Odone nostrae Congregationis Abbatis Generalis, accuratè, & non sine animi voluptate perlegi *Commentaria in libros S. P. Bernardi de Consideratione ad Eugenium Summum Pontificem* à P. Abate D. Joanne Sianda, itidem nostrae Congregationis secundo Assistente, elucubrata: nihil nec minimum apicem Orthodoxæ Fidei adversantem offendit, imò nihil, quod Ethicam Christianam non redoleat; sed potissimum Doctoris Melliflui mentem sic exprimit, ut Sancti Doctoris salutis animarum zelus quodammodo in piissimum Auctorem, jam aliis doctis operibus in Republica Litteraria satis notum, transfusus esse videatur. Quamobrem digna reor in lucem emitte posse; salvo meliori judicio.

Hac die 16. Augusti 1748.

D. Franciscus Xaverius a S. Theresia Sacrae  
Theologiae Lector.

D. HIE-

# D. HIERONYMUS A S. ODDONE

*Congregationis Monachorum S. Bernardi Ordinis Cisterc.  
ABBAS GENERALIS.*

**C**Um *Commentaria in Libros de Consideratione* a Patre D. Joanne Sianda uno ex Abbatibus Congregationis nostræ Senioribus Assistentibus elucubrata, & in quatuor partes divisa, duo ex nostris Theologis, quibus hoc commisimus, examinaverint, & in lucem edi posse judicaverint; ut Typis mandentur, facultatem, de Nostrorum Consiliariorum assensu, quantum ad Nós pertinet, concedimus. In quorum fidem praesentes manu propria subscriptas, & Sigillo Officii Nostri munita expediri jussimus. E Monasterio Nostro Sanctæ Pudentianæ de Urbe die 3. Septembri 1748.

*D. Hieronymus a S. Oddone Abbas Generalis.*

*D. Valerius a S. Joseph Secretarius.*

IN-

# INTRODUCTIO AD OPUS

Continens Apologiam vindicantem Divum Bernardum  
super ea, quæ de Populo Romano scripsit  
Lib. 4. de Consid. capite 2. perperam  
à pluribus accepta.



De claram Librorum de Consideratione intel-  
ligentiam, illius ætatis, qua conscripti fue-  
runt, historica notitia valde conducit: sine  
qua facile esset, secus ac intellexerit San-  
ctus Bernardus se exprimere, scripta ejus  
accipere. Itaque quis qualisve fuerit Eu-  
genius, sub cuius magisterio excreverit,  
quo tempore ad Pontificatum assumptus, quibus calamitati-  
bus Roma tunc esset obnoxia, à quibus fuerint contra Eu-  
genium excitatae seditiones, breviter hic perstringendum  
occurrit, ut his bene perspectis, definat admirari benignus  
lector, quasi ab humili Manaco, ad Summum Pontificem  
scribente, minus submissè, quam par fuerit sermo sit in-  
stitutus; quasi de Romanæ Curiæ Proceribus, de populo ip-  
so Romano scribente Divo Bernardo, nimis quam par esset  
adhibitus videatur calamus acutus: Cum cæterum si attentè  
perlegantur de Consideratione libri, nonnisi sanctitatem,  
humilitatem, obsequium, scientiam, una cum libertate Evan-  
gelica redolere, saniorum, ac sanctiorum virorum judicio  
comprobetur.

Eugenium itaque, ad quem S. Bernardus libros de  
Consideratione dedit, Petrum ante Pontificatum dictum fuisse,  
comprobant epistolarum inscriptiones diversæ, ad eundem  
datæ: sed quia non simpliciter Petrus, sed Petrus Bernar-  
dus in citatis inscriptionibus est nuncupatus. Bernardi no-  
men in Sancti Patris memoriam religiosam sibi Petrus su-  
peraddidit; cum Monachum induit in Claravalle, sub San-  
cto Bernardo Abbe. Imò Eugenii Familia, quæ in Oberto  
Eugenii fratre est propagata, cœpit postmodum familia

To. I.

e

de

de Bernardis, in memoriam S. Bernardi, quasi glorioſiori  
aſſumpto agnomine, à quo & omne omen ſuum auſpicaba-  
tur nuncupari: ſic Joannem Oberti filium, Joannem de  
Bernardis diētum fuiffe, probat antiquum instrumentum Pla-  
centiae anno MCLXII. confeſſum: cum cæterum Eugenii Fa-  
milia ex antiqua Paganellorum proſapia, cum apud Pifa-  
nos, tum apud Florentinos olim potentiſſima, ortum ſuum  
duxerit.

Natus Eugenius in Montemagno apud Pisas (qui Mons  
magnus eo tempore ſub Paganellorum erat Dominio) Pifis  
excrevit, & litteris ſufficienter inſtructus, Canonici, & Vi-  
ce-Domi ni Pifanæ Eccleſiae dignitatem obtinuit (Vice-Dom-  
inus autem idem erat, ac Suffraganeus, qui ſcilicet Ar-  
chiepifcopi munus gerebat) cumque eo tempore Sanctus Ber-  
nardus in Italia multos pro Dei Eccleſia exantblaret labo-  
res, Pifas pertransiens, reverſurus ad propria, ſecum di-  
ētum Petrum Canonicum & Vicedominum, Sancti Bernar-  
di amore captum, Claramvallem adduxit, novæ militiae  
Monachali, quæ feliciter ſub tanto Abbate crescebat ad-  
ſcribendum.

Statim Petrus ad ordinem admissus, Bernardo Patri,  
ita inter paucos perfamiliaris fuit, ut eidem, vel recenter  
professo Sanctus Bernardus ardua quæque negotia tutò com-  
mitteret. Interim, cum Innocentius Secundus tunc Ponti-  
fex Maximus, Bernardi Sobolem Romanæ Curiæ concipi-  
ret, mittitur Romam cum aliis Monachis Petrus Bernar-  
dus, in Cœnobio Sanctorum Vincentii & Anafasti ad aquas  
Salviias Abbas præficiendus: ibidem ad aliquot annos, Ab-  
batis munere pīc, ac ſufficienter funditus, mortuo non mo-  
do Innocentio, ſed & Lucio ſecundo, Cæleſtini ſuccelfore  
etiam ē vivis ſublato, ſummo omnium Cardinalium conſen-  
ſu, in Pontificem Maximum eligitur, & Eugenius Tertius  
nuncupatur.

Tempora illa erant perditissima, quibus bello civili ab  
Arnaldiftis commoto, urbs tota flagrabat. Inter has Catho-  
lici orbis calamitates, & urbis ſeditiones, opportunus oc-

surrit Eugenius, qui licet virum sola simplicitate commen-  
dabilem in Monachatu se exhibuisset, & ad negotia ge-  
renda minus aptum; statim ac Pontifex fuit renunciatus,  
contra opinionem omnium, ita ingentem animi indolem præ-  
fetulit, ut ipsi infusam in electione scientiam, prudentiam-  
que Divus Antoninus tradiderit.

Ad inopinatum novæ electionis verbum Sanctus Bernar-  
dus, qui Eugenium in Religione filium habuerat, datis ad  
eum litteris, statim est veneratus in Patrem. Sed sicut San-  
ctus Bernardus Paterno, quo hactenus flagraverat in Eu-  
genium Monachum, neque in Eugenium jam Pontificem  
renunciatum, spoliari non valuit affectu; Ita neque Eu-  
genius filiali, quo dum Monachus, Pontifex factus erga  
Sanctum Bernardum exui valuit amore, & reverentia; &  
quemadmodum Eugenius in Claravalle sub Bernardo Patre  
ab ejus nutu, ita in Pontificali Solio ab ejus ore, & ora-  
culo semper pendere visus fuit: Quippe qui virum San-  
ctum, Cælesti unctione magistra edictum, Divinis charisma-  
tibus abundantanter superfluum optimè noverat, proinde ab eo  
salutaribus consiliis, pro Apostolico munere adimplendo, qua-  
xistis; quærenti, & petenti, præsto fuit Sanctus Bernardus,  
libris de Consideratione ad Eugenium, salutaria monita pe-  
tentem, datis, in quibus non modo Pontifex, sed quotquot  
Pontificali fulgent dignitate, imò omnes Ecclesiæ Proceres,  
pro suo munere sedulo gerendo erudiantur.

Instigante tunc temporis Arnaldo Brixiensi viro perditissimo Romanam plebem, plures in suos traxit errores; ut pa-  
tritum crearent induxit; ut jura Pontificia subverterent,  
solicitavit; ut in Eugenii, & Cardinalium bona grassaren-  
tur, stimulavit; ut antiquas Romani Populi dignitates in  
Capitolio instaurarent tentavit, & in tantum hujus veneno-  
sæ doctrinæ (scilicet ab Arnaldo Brixiensi promulgatae)  
cœpit invalescere malum, ut non solum Romanorum Nobi-  
lium, sed Cardinalium diruerentur palatia.

Hæc mala cum ægrè ferret Sanctus Bernardus, Domus  
Dei zelator eximus, non potuit non accuere calamum contra

bujusmodi perditissimos viros Arnaldi Sctatores, de quibus loquitur libro quarto de Consideratione, cum malos Romanorum mores expendit; ibi enim nomine Romanorum, illos tantum Arnaldi Sctatores, & contra Ecclesiam, & Pontificem procaces intelligit, qui ab Arnaldo seducti, Arnaldistarum factionem contra Eugenium sustinebant. Cæterum potiorem Romanorum partem, cum præcipuis Romanæ urbis nobilibus, semper constanter Eugenio adhæsse, constat evidenter ex his, quæ supra ex Othono Frisingensi relata sunt, ubi nobiliorum Romanorum bona ab Arnaldistis dissipata fuisse, refertur: quâ ratione autem inveherentur in nobiles Romanos Arnaldistæ, nisi eos Eugenii fautores congnovissent? Adhæserunt ergo Romani in hac seditione, præcipue urbis Proceres Eugenio, quorum bona ita diruta fuerunt, quod certè non poterat non esse Bernardo compertum. Quòd autem nihilominus stylum acuat in hac causa S. Bernardus contra Romanos, certè non nisi de Romanis ab Arnaldo seductis locutum fuisse, dicendum est. Præterquamquod, cum Romæ semper fuerint ex omni Gente cogniti, Græci, Latini, & Barbari, quotquot urbem, etiam ad paucos annos, inhabitant, Romani Cives nuncupari gloriantur; cum nihilominus certum sit, potiorem ex Romanæ urbis incolis partem, longè satis ab urbe Roma, ducere non modò originem, sed ipsa natalia sortiri.

Non itaque absolutè contra Romanos, sed contra Romanæ urbis tunc temporis incolas, qui cum Arnaldo capite, natione extero, seditionem fecerant, invebitur Sanctus Bernardus, quos Romanos vocat, non quia verè essent illi seditionis Patritii, sed quia Romanorum antiqua jura repetere cogebantur; cum cæterum nihil cum Romanis Civibus ratione sanguinis, aut natalium affinitatis haberent. Profectò exterus erat Arnaldus seditionis caput, & potiores ex ejus sceleribus, etiam exteros fuisse credere par est: quid ergo ipsis cum restituendo Patritio? Sed quia communis Patriæ (hæc enim unica est Romanæ urbis prærogativa, ut communis omnium patria dicatur, cum de facto omnibus to-

tius orbis hominibus talem se urbs Roma exhibeat, ubi sine  
ulla personarum acceptione, sed solis attentis meritis, sive  
Romani, sive Itali, sive exteri, ad primarias dignitates, imo  
ad ipsum Principatum sublimantur) jura repetere, sed in-  
sipienter nitebantur, ideo se forte Romanos dictitabant, &  
contra hujusmodi Romanos, abusivè sic dictos, Sanctus Bernar-  
dus stylum acuit; Qui ceterum erga legitimos Romæ Pa-  
tritios, præcipue erga Proceres obsequentissimum se exhibuit:  
& plurimum de eorum prudentia in rebus gerendis, & ob-  
sequio erga Summum Pontificem confidens, Eugenium novi-  
ter ad Summum Pontificatum assumpsum, eorum virtuti, cha-  
ritati, sollicitudini, pietati commendat: data super hoc, ad  
omnes Romanae Curiae Proceres, obsequentissima epistola, in  
qua inter alia sic legitur. Vestra interest, charissimi, ve-  
stris ferventibus studiis, fidelibusque obsequiis solicite con-  
foveri, quod vestris constat elaboratum manibus, assisti-  
te, & collaborate illi in opere, ad quod assumpsus est  
per vos à Domino &c

Non negarim Arnaldum aliquos ex Romana plebe in  
commota seditione habuisse sectatores, sed non ideo seditionem  
propriè à Romanis commotam, dicendum est, cum po-  
tior Romanorum pars, una cum præcipuis Romanae urbis Pro-  
ceribus, semper obsequentiissime Eugenio adhæserit. Quia  
vero seditioni Arnaldistæ, tanquam Romæ Patritios se ja-  
ctabunt, Patritium creare contendentes, ut Pontificia ju-  
ra deprimarent, ideo eorum perditos mores, sub nomine Ro-  
manæ plebis, Sanctus Bernardus in libro quarto de Conside-  
ratione perstrinxit. Porro quæ de Romanis emphaticè satis  
à Divo Bernardo dicta, haudquaquam de omnibus Roma-  
nis, sed de discolis tantum Arnaldi sectatoribus intelligen-  
da fore, advertit Baronius in suis Annalibus, & post eum  
Berninus in sua Historia de Heresibus; sed ipsis etiam ta-  
centibus, hoc est per se satis perspicuum: & ne adulato-  
rius in hac causâ calamus meus videatur, quasi excusare  
contendens, quos expressis verbis in citato libro quarto de  
Consideratione accusatos esse legitur: Indubium est Romano-

rum nobiles, & potiorem ex Romano Populo partem, semper Eugenio obsequientissimam fuisse, quæ veritas satis convincitur ex Codice Vaticano Ms. (omitto brevitatis gratia testimonia, quæ ad comprobandum indefessum Romani Populi obsequium erga Sanctam Sedem, erui possunt ex diversis historiis, præcipue ex Baronii Annalibus), in quo narratur, quanta cum exultatione expulsis ab urbe Arnaldistis, totius populi quanto cum jubilo, & communi acclamacione idem Pontifex fuerit à Populo Romano suscepitus, occurrente obviam ei cum ramis multitudine, ad pedum oscula certatim procumbente, & universo Romano Populo in unum psallente. Benedictus qui venit in nomine Domini. Quomodo autem, si absolute de populo Romano, & non potius de Arnaldistis intelligenda forent, que scripta sunt contra Romanam plebem, à Divo Bernardo, tot gaudiis, & acclamacionibus Eugenium Romanum revertentem, populus Romanus excepisset?

Perspecta satis Eugenio, & consequenter Divo Bernardo, veri Populi Romani, erga Romanum Pontificem fuit devotio. Quandoquidem erga populum Romanum Eugenius Pontifex tam munificus extitit, referente Iaconio sub anno MCXLII. & ab eodem populo summe dilectus, cuius dilectionis testimonium satis perhibuerunt suspiria, & singultus totius Romani populi, Eugenii mortem lacrymantis. In Vaticanum cum totius Cleri, & populi Romani frequentissima turba, maximo luctu, communique omnium immensa tristitia deportatus est, & in ipsa Beati Petri Ecclesia, coram majori altari tumulatus.

Quia vero Sanctus Bernardus in suis libris de Consideratione, non modo de populo Romano, sed etiam de Eugenio, ejusque proceribus fortia nimis dixisse alicui forte videri poterit; ad eundem Sanctum Scriptorem, à quibuscumque minus rectè ejus scripta accipieniibus, vindicandum sciendum adhuc est ea tempestate, qua Eugenius ad Pontificatum fuit assumptus, insaniente, ut dicunt est cum sceleratoribus suis Arnaldo Brixiensi, nullum Eugenio penè locum

cum patuisse in diversorio ; tantum aberat quod posset in disciplina subditos continere , proinde ex hac seditione occasionem nacti magis turbulentæ cervicis homines , ubique cœdes minabantur ; alii jurgia suscitabant , alii lites ingrebat , quibus malis obviandis , & dissensionibus componendis ; quantum cum præsenti discrimine poterat , totus intentus Eugenius , se totum actioni , consideratione parvum aut nihil addictum ostendebat : quod ægrè ferens Sanctus Bernardus , sub cuius magisterio Eugenius tantum in sanctimonia profecerat , quantum Eugenii sanctitas post mortem illustrata miraculis declaravit , in libris de Consideratione ab Eugenio expeditis , efficaciter probare nisus est necessitatem preferendi considerationem actioni , sine cuius preventione nulla actio esse potest bene ordinata . Ægrè inquam , ferebat Sanctus Bernardus Eugenium , jampridem totum considerationi addictum , propriæ salutis etiam corporalis dispendio , in componendis litibus ubique pullulantibus , sapè à litigantium malitia , potius quam à Justitiae zelo excitatis , tempus consumere , nullo considerationis studio interposito . Monet proinde Eugenium , ardenti zelo calamum velociter scribentis acuente . Uni Bernardo , qui Eugenium Religioni genuerat , cum Eugenio confidentius differere in hac causa permissem ; sic permittente , imò exposcente eodem Eugenio , qui Bernardum Monitoris , & Consiliarii supra se munus exercere , jufferat , renuente tamen humili Bernardo , Pontificiæ dignitatis venerabundo , arduum hoc munus suscipere . Parcendum itaque Sancti Bernardi zelo ; tribuendum etiam aliquid sibi datae autoritati , si fortia locutus est in libris de Consideratione Sanctus Bernardus , tam de Pontifice , quam de Ecclesiæ proceribus , qui omnes libentissime ab ore tanti viri , cuius doctrina continuis & stupendis illustrata erat miraculis , juxta exigentiam temporum , vel monente , vel consulente , vel increpante , vel hortante pendebant ; scientes eum , non nisi in spiritu humilitatis , & in animo charitatis zelo inflammati , loqui consuevisse , sive fortia , sive minus fortia loqueretur . Hæc prænotare opus fuit , ne quis

quo-

quodammodo scandalum pateretur, legens Sanctum Bernardum in libris de Consideratione acuisse stylum suum, dum de Pontifice, ejus collateralibus, & de Romano Populo sermonem instituit: cum ceterum non nisi humilitatem, sanctitatem, & zelum Evangelicum Divi Bernardi scripta redoleant, quibus inherendo, quæ in hoc opere necesse fuit discutere, forte alicui videri poterunt dura nimis, utpotè quæ feriant eorum animos, qui affectui proprio, plus quam par sit deferentes, omnem vel levem tacitum reformidant; eo quod nimis in proprio sensu abundant: quæ tamen dicturi sumus, non nisi sub umbra sensus S. Bernardi, & Sac. Canonum proferentur.

#### ERRATA CORRIGE.

TOM. I.

**P**Ag. 37. noa leg. non. 38. momenti leg. monenti. 66. ministeriam leg. ministerium. 226. imitar leg. imitari. 249. non qui multum leg. non qui parum. 320. proecisse leg. profecisse.

TOM. II.

Pag. 25. convincit hæreticum leg. convincit. Hæreticum. 65. vidente leg. videntur. 77. exulat leg. exultat. 163. fecerint leg. fecerunt. 201. amari leg. ornari. 231. auctoritatis leg. auctoritati.

Reliqua minoris momenti, benigni Lectoris sedulitati emendanda relinquuntur.

IN



SANCTI BERNARDI ABBATIS  
IN LIBROS DE CONSIDERATIONE  
AD EUGENIUM PONTIFICEM MAXIMUM  
PROLOGUS.



Ubit animum dictare aliquid, quod Te  
Papa Eugenii, vel ædificet, vel conso-  
letur. Sed nescio quomodo vult, &  
non vult exire, læta quidem, sed len-  
ta oratio, dum certatim illi contra-  
ria imperare contendunt mæjstas, at-  
que amor; Nempe urget ille, inhibe-  
bet illa, sed intervenit dignatio tua,  
qua hoc ipsum non præcipis; sed pe-  
tis: cum præcipere magis Te deceat. Mæjstate igitur tam  
dignanter cædente, quid ni cædat pudor? Quid enim si  
Cathedram ascendisti? nec si ambules super pennas venti-  
rum, subduceris affectui. Amor Dominum nescit, agnoscit  
filium, & infulis per se satis subiectus est, obsequitur spon-  
te, gratis obtemperat, liberè reveretur; Non sic aliqui,  
non sic, sed aut timore ad ista impelluntur, aut cupiditi-  
tate: Hi sunt, qui in facie benedicunt, mala autem in  
cordibus eorum; blandiuntur coram, in necessitate deficiant;  
at charitas nunquam excidit. Ego ut verum fatear matris

To. I.

A

sum

*sum liberatus officio, sed non deprædatus affectu. Olim mihi invisceratus es, non tam facile erueris. Ascende in Cælos, descendere in abyssos: non recedes a me, sequar Te quo cumque ieris. Amavi pauperem, amabo pauperum & di vitum patrem. Non enim, si bene Te novi, quia Pater pauperum factus, ideo non pauper spiritu es; In Te hanc mutationem factam esse confido, non de Te: nec priori statui tuo successisse promotionem, sed accessisse. Monebo proinde Te, non ut Magister, sed ut mater; Planè ut amans. Amens magis videar, sed ei qui non amat, ei qui vim non sentit amoris.*

## IN PROLOGUM BREVIS DISSERTATIO.



XIMIAM suam erga Eugenium Papam insinuat in hoc Prologo Sanctus Bernardus affectionem, sincerum amorem, & humile obsequium. Profitetur enim ibi Sanctus Abbas, se adhuc Eugenium, quod olim in Religione ipsi invisceratus fuerit, tanquam filium affectione cognoscere, quem ad Pontificatum assumptum cum universo Orbe Catholico veneratur in Patrem. Quomodo autem Sanctus Bernardus Eugenium Filium & Dominum appellebat, pluribus ostendit. Sed plenius videre est in Epistola, quam ad Eugenium in Papam electum scripsit, quæ incipit. *Auditum est in Terra nostra &c.*

Eugenio ad Pontificatum assumpto, afferit utique Sanctus Bernardus jam demum se noscere matris liberatum officio, nusquam autem deprædatum affectu, quia vera Charitas nunquam excidit; ubi itaque Eugenius Bernardum haetenus habuit in Patrem, jam versa vice, Eugenio facto omnium Patre, Bernardus in obsequentissimum se exhibi-

hibet Filium. Sed dum Bernardus Eugenium veneratur in Patrem, paterno adhuc urgente affectu, sibi tanquam Filium Eugenium invisceratum sentiens Sanctus Bernardus, sentit proinde paternum amorem urgere ad loquendum, & unā simul filiale obsequium erga Pontificiam Majestatem inhibere, ne loquatur; loquitur tamen, sic petente, imo præcipiente Eugenio, sed perhibet se non loqui tanquam magistrum cum Eugenio, a Domino super Apostolicam Cathedram erecto ut doceret, non ut documenta recipere. Itaque ut obediat potius, quam ut erudiat, loquitur in libris de Consideratione humillimus Abbas: & ita loquitur, ut amorem simul, & obsequium in hisce libris mirabiliter componat: quā sermo amantis est, pungit, & stimulat, non ut irritet, sed ut moneat. Corripit increpat, non ut detrahatur, sed ut attrahatur; quā vero est sermo obsequentis, blanditur sed sine adulazione, laudat sed sine extollentia, ut merito dici possit quod in omnibus scriptis suis mirabilis fuerit Sanctus Bernardus, sed in libris de Consideratione scribendis mirabilior factus, superavit seipsum: in iis siquidem libris, ut loquar cum Bernardo Bonevallis Abbe, acutissima indagine, tam ea, quæ circa Pontificem, quam quæ infra sunt prosequens, etiam quæ supra ipsum sunt ascendens, tanta de naturâ Divinâ differuit ut quidem videatur in Tertium Cælum assumptus audisse quædam verba, quæ non licet homini loqui, & Regem in decore suo vidisse.



# DE CONSIDERATIONE

## LIBRI PRIMI

### CAPUT PRIMUM

#### SYNOPSIS.

Romano Pontifici, Prælatis atque Principibus, cæterisque omnibus, qui non tam ratione honoris quam oneris hominibus præsunt, occupationum nimietate gravatis condolet in hoc Capite Sanctus Bernardus, & a subjecta earundem occupationum materia, libros de Consideratione exorditur: per externas occupationes sæpe internas negligi animi curas ostendit. Quam metuendum sit negligere, quæ ad animam pertinent, etiam externalium occupationum sub specioso praetextu significat Eugenio. Similiter a Religiosis vita deliciis ad externas occupationes abstrahi grave esse, & dolendum. Ubi de prava consuetudine, & mala pace nonnulla subjicit, quæ sequenti Capite secundo latius deinde prosequitur.

#### SECTIO PRIMA

*Unde jam ergo incipiam.*

**A**rduum negotium Principes alloqui, vel ad eorum eruditionem scribere, siquidem in hac causâ, non omnia, quæ vera semper dicenda, *unde jam ergo incipiam*. Adulatorii sæculi mala conditio videtur exigere, ut quæ Princeps agit, si bona sint plusquam par sit exaltanda occurrant, fin vero mala nefas sit vel incidenter attingere, & satius sit præterire silentio. *Unde jam ergo incipiam?* vitiorum redargutionem ægre sustinent Principes, quorum aures ab infantia, adulationibus Aulicorum factæ veritatem ipsam, non nisi fucatam recipient. Veritatis Ami-

Amicus in Aulis s<sup>e</sup>pe fit Principis inimicus . Plures siquidem sunt Principes , in quibus locum habet quod scripsit Ugo : *super Judith c. 55.* : *Oderunt veritatem redarguentem non doceri desiderantes , sed Doctores ad id quod desiderant congregantes , a veritate quidem auditum avertunt :* Unde jam ergo incipiam . Cæterum quisquis ad erudiendos Principes assūmitur , omnem caducam spem , vanumque timorem debet abjicere , si vera loqui , si recta docere satagit , si Principem quem erudiendum assūmit , ad meliora charismata excitare æmulatur . Cuicunque Principem alloquenti bonum est sapere , sed sapere ad sobrietatem : Poenitere te potest coram Principe locutum fuisse , tacuisse nunquam . In aulâ semper adstant , qui vigilant ut capiant loquentes in verbo . Si Principem alloqueris es in Judicio , si de Principe es sub Censoribus . Quæcumque sentis , si vis , communicare potes amicis , communicaturus autem quæ de tuo Principe cogitas , amicum nosce neminem ; spes lucri corrumpit amicos . Loquere solùm de Principe , quæ te locutum fuisse vis innotescere . Cum timore & respectu , tam de Principe , quam coram Principe loquendum est . Subditi sumus Potestatibus , in hâc potissimum causa cave , & attende . Iniquitas est loqui sine debita comitate de Principe , quid sentiendum de illis , quorum sermones sunt jacula in Summum Pontificem . Summus Pontifex est Christus Domini ; scriptum est *Psalm. 104. Nolite tangere Christos meos.* Qui enim in Christum Domini malignantur , exterminabuntur . Obstruetur a Domino os loquentium iniqua de Christi Vicario . Interrogatus quidam quæ res portendere posset Civitatibus exitium ; Respondit : *Quando debitus honor dignitati Sacerdotali non exhibeat*ur . Scytiorum Princeps linguae abscissione Aulicum de Sacerdote male loquentem emendavit . Similibus passim judiciis indigeret hæc ætas , in quâ unusquisque pro libito de Pontifice loquitur . Sanctus Bernardus loqui iussus quasi timens , & anceps , ait . *Unde jam ergo incipiam , non aliter locuturus , nisi obtemperaturus .*

Di-

Discant a Viro Sancto, quo timore, quo obsequio loqui debeant de Summo Pontifice viri loquaces. Postulat Eugenius ad Pontificatum assumptus, a S. Bernardo erudiri, sub cuius Magisterio Monacale institutum didicerat, cuius probitatem longâ experientâ perspectam habebat: hujusmodi a Principibus feligendi sunt Consiliarii, quos vitæ probitas commendat; cum debeat Principibus esse perspectum pro felici subditorum regimine, satius esse sub bonis Consiliariis malum regnare Principem, quam sub bono Principe malos Consiliarios principiare; fælices subditi ubi Principes in eligendis Ministris, & Consiliariis non gratiam, sed virtutem, & meritum spectant. Bernardus interim ab Eugenio rogatus, ut ad ejusdem eruditionem scriberet, sic profatur: *Unde jam ergo incipiam?* Tot enim, tantaque sunt, quæ ad erudiendum Principem dicenda occurrunt, ut penè inopem dicendi copia faciat.

## SECTIO SECUNDA

*Liber ob occupationibus tuis, quia in his maxime condoleo tibi.*

**S**TATERAM verbis exhibere debet loquentis conditio, cui semper debet esse perspecta Auditoris qualitas. Sæpe quod uni coram Principe loqui fas est, alteri est nefas. **Q**uis, qualisve sis, & coram quo loqueris attende, & tunc justificaberis in sermonibus tuis. Bernardus Pontificem alloqui jussus, de occupationibus Pontificis sermonem instituit, quarum nimietate gravatum Eugenium animadvertis, non absque pristinæ pietatis, cui totus erat in claustro addictus detimento, ab earundem occupationum vexatione paulisper segregem vivere suadere intendit: quod ut obtineat Zelator Bernardus; attende lector quo affectu, quo timore, quâ efficaciâ, qua arte loquatur; loquitur *condolens*, quia sicut Principem delectat sermo laudis, ita lædunt verba, quæ defectum denunciant; *condolens*,

*dolens*, ut liniat sermonem nullatenus Principibus acceptum, qui de suis defectibus semper amant altum custodi-ri silentium: *condolens* ut ostendat compatiens affectum, quem in subditorum Animis insertum Principes volunt: *condolens*, ut inclinet Pontificem ad sensum doloris, quem versum in insensibile, ex continua occupationibus iam prope timebat. Defectus Principis leniter curati facilius emendantur, Principes enim deliciis assueti, vehementem curationem non sustinent. Qui autem ad hæc officia tenetur, probet hoc totum ex affectu sincero procedere, munus esse compatiens, & in officia paratae charitatis. Ex una parte laudandus animus, in cæteris debet confor-veri. Cum Principibus, qui difficulter curationem susti-nent (vix enim defectibiles se credunt) cura blandiente bonum est uti: Ferrum extinctum in melle mollificatur valde, sed cito liquefit in igne. Eugenio occupationi-bus gravato condolet Bernardus, quasi vexatio in Prin-cipe ex pondere dominationis suborta esset plaga pessimi-vehementer; doloris argumentum in subditis, si attentè per-penderent quantum sit onus regiminis; Cuique Imperio maxi-mam curam inesse certum est? Nullus est honor sine onere. Quàm maximis gravari curis sentiendum est Pontificem, qui honorem omnium maximum adeptus, debet Thyare pondus sustinere. Triplicata corona multiplex pondus defe-rentis designat. Maximus honor, maximum onus. *Quam laboriosa est imperantium conditio*, dicere consueverat Do-mitianus: *Quanto magis quisque præponitur, eo magis pondere laborum gravatur.* Veritas hæc juramento confir-mata ab Episcopo Constantinopolitano, qui Leonem Ar-menum coronaturus coronam elevans sensit spinarum aculeos. Milites abstulerunt a Christo clamidem, non spi-neam coronam, propter curarum aculeos, quos patiuntur, qui Christi Vicarii eliguntur. Honorificum est Dei ministerium, sed onerosum. Principatus magnificentiam-plures appetunt, quippe cuncta ejus bona foris apparent; in-commoda occulte conclusa continentur, quæ si quis cerneret,

rem

rem molestiarum plenissimam tanta animi contentionem  
haudquaquam expeteret , nec omnibus cupiditatibus ar-  
dentior appareret dominandi libido . Ad delicias utique  
non sunt vocati Pontifices , cum teste Augustino : *de ver-  
bis Domini : Nihil sit in hác vitá , maxime hoc tempore la-  
boriosus officio Pontificis . Quod onus esse , inquit Hiero-  
nymus , non dignitatem , onus per quod humiliter decre-  
scat Pontifex , non fastigio intumescat . Hoc onere se gra-  
vatum sentiebat Magnus Gregorius , cum ad amicissimum  
Leandrum scripsit . Epist. ad Leandrum : *At me multum  
deprimit honor onerosus , curæ innumeræ perstrepunt , nulla  
cordis quies est .* Quàm magna moles , molestiaque inest  
imperio . Nihil difficilius , quàm bene imperare , nam  
quisque pro voto de Principibus loquitur . Difficilius ad-  
huc est dominatum regere Pontificium , siquidem Pontifex ,  
non oculis solum , sed animis debet servire subditorum .  
Debet Princeps omnium providere saluti , Imperium enim  
nihil aliud est , quàm cura salutis alienæ . Hoc tutius di-  
cere libet de Imperio Pontificio , cui adnexa est cura  
universi gregis . Quidquid agit , quidquid patitur in re-  
gimine Princeps , excipiunt subditi , non ut beneficium ,  
sed tanquam officium , & obligationis publicæ solutionem :  
Qui si malè rexerint Deo displicebit , si benè pluribus  
subditis non erit acceptus . Facilius est bonum esse subditum ,  
quam bonum Principem . Bonus es subditus , si uni soli  
obedias , ut autem bonus sis Princeps omnibus subditis  
debes providere . Facilius autem unum uni obedire , quam  
unum pluribus placere . Otho dicere consuevit ad suos .  
*Nescitis Amici , quid sit Romanorum gubernare Imperium ,  
michi credite experto , qui jam mori malo , quam impera-  
re . Sed longè adhuc laboriosius est Pontificem agere ,  
qui non nisi omnibus omnia factus , poterit veri Pastoris  
partes explere .**

## S E C T I O T E R T I A

*Condoleo dixerim, si tamen doles & tu.*

**Q**uisquis in Petri Cathedrâ sublimatur ut sedeat cum Principibus, & solium gloriae teneat, argumentum certè habet unde doleat, quia Regnantum fors est plena periculis. Hoc inter carnificum gladios Magnus Pompejus de se prædicabat, quod ne tum quidem dum erat felicissimo in statu fælix videretur. Habent tum Diadema, tum Thyara sarcinam suam. Sæpe a majoribus fælicitatis maximæ calamitates defluxere. Hinc rectè dictum, qui addit honorem, addit & dolorem. Hæc omnia æquallance pensitabat Sanctus Bernardus, qui ideo condolens scripsit ad Eugenium, quem de Pontifícia dignitate recentiter obtentâ non immerito dolentem arbitrabatur. Dignitates siquidem revera honores non sunt. *An non novisti filii nostrum Regnum esse nobilem servitutem* repetebat Antigonus filio suo: Potiori jure Ecclesiæ Proceres sollicitè studere debent, ut eos existimet homo tanquam Ministros Christi. Discito ex Apostolo Ecclesiasticas dignitates potius ministeria esse quam honores: differentia dignitatis facta est inter Sanctos, ut unus sit Episcopus, alias Minister, contumacia carnis coegit, & perversitas Mundi, & operatio inimici, honores ut videantur esse, sed revera non sunt, imò ministeria; lætantur Ecclesiastici ad Ascensum, sed timeant ad lapsum. Non enim est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti est mæroris de sublimioribus corruiisse. Quisquis venit in altitudinem Maris timeat tempestatem, à quâ potest demergi. Quisquis ad insulas assumptus erit hoc justo timore concussus, nec justo dolore carebit.

## SECTIO QUARTA

*Alioquin doleo magis dixisse debueram, quia non est  
condolere, ubi nemo qui doleat.*

**S**CITÈ dictum dedolenti inter pericula: *doleo magis ille* siquidem majori patet ruinæ, qui in culmine constitutus, neque instantis præcipitii periculo edoctus, non studet cautius incedere; propter hoc *doleo magis*, quandcumque esset animadvertere virum de honore lætabundum, nec de periculo cui subest sollicitum. *Doleo magis*, quia ægri se se non sentientes periculosius laborant. Dicerent autem dolere Principes, si Aulici Fideles subditos non adulatores se exhiberent. Fucata omnia Principum oculis ut plurimum proponuntur, ideo saepè malum non evitant, quod discernere nequeunt; an autem hæc excusatio sufficere valeat apud Deum, ipsi viderint, qui ex suo munere populis tanquam speculatorum à Deo præficiuntur, & ideo antonomastice, *videntes* per Prophetam vocantur, propterea si mala quæ in Populo irrepunt non discernunt, jam fraudantur muneri suo: ad hoc avertendum malum, non modo Ministris, non modo Aulicis, sed & aliquibus ex plebe, & quidem simplicioribus debet aliquando Princeps accessum permittere, isti enim in simplicitate sermonis loquentes, abusus & mala pullulantia patefaciunt, quæ ob privata sua commoda Aulici ut plurimum abscondere student: Bonum est aliquando dolere Principes, ut intelligent etiam se homines esse, & ex calamitatibus, quibus subjacet humana conditio nullam à se ipsis putent alienam. Qui ergo in Aulis ad Principem habet accessum, ubi eundem deficientem animadverterit, damna quibus subjacet patefacere non erubescat, licet exinde dolorem Princeps sit concepturus; dolor iste ad sanitatem erit. Bonus Medicus non tam considerat Ægri dolorem, quam vulneris sanitatem. Non omnium tamen ista est cura, sed illorum quibus ex cognitâ integritate vitæ, & morum datum erit.

Con-

Condolet Eugenio Bernardus , cui satis perspectum erat  
Principibus blandientem curam esse exhibendam.

## S E C T I O Q U I N T A

*Itaque si doles condoleo, si non doleo tamen, & maximè  
sciens longius a salute obsistere membrum quod  
obstupuit: & ægrum sese non sentientem  
periculosius laborare.*

**Q**uisquis inter dignitates non dolet, in numero illorum est, de quibus legitur, Proverb. 23. 35. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Tiberius Cæsar ad imperium Romanum assumptus, posthac semper tristis apparuit. Dolerent etiam nunc temporis Principes, si cum in honore sunt intelligerent, quām difficile sit veri Principis partes explere. Quisquis regnat sine hoc sensu, *fatuus in Solio*: abundavit in hoc sensu Alphonsus Rex, qui familiari cuidam suadenti , ut tranquillè , & voluptuosè dum posset vitam ageret: Sic est affatus. *Voluptuosa vita, & regnantium conditio incompatibiles sunt.* Hinc discere est, quām misera sit illorum conditio, qui dignitatibus inhiantes, tot anxietatibus emunt dolere. Gaudent in dignitatibus, qui occupant, non implent dignitatem: Doleo itaque super Te, quisquis venis in altitudinem dignitatum, præcipue Ecclesiasticarum, ubi te potest tempestas demergere. Si doles condoleo, si non doleo tamen, sciens longius à salute obsistere membrum quod obstupuit, & ægrum sese non sentientem periculosius laborare. Factus est tamquam æger sese non sentiens, qui non dolet inter dignitatum pericula; convenit ipsi, quod in ebrium retorquet sapiens Proverb. 23. 35. *Eris sicut dormiens in medio mari, & sicut sopitus gubernator amissò clavo, & dices, verberarunt me, & non dolui, traxerunt me, & non sensi.* In ægro sese non sentiente, vix ulla spes remanet recuperandæ salutis. Non fortis, sed stupidus est, qui

in vulneris dolore factus est insensibilis. *S. Greg. in Moral.* Non habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quam dolorem. Fortè dices, quæ causa doloris esse potest in Rege, in Pontifice? scis quæ causa? Occupatio continua, per quam regnantes ferè toti in exteriora diffusi, internam animæ solicitudinem sæpe negligunt, undè fit, ut periculosius laborent. Expedit illis aliquando colligere se intra se, & reddere se sibi, cæterum tanquam ægri fæse non sentientes periculosius laborabunt.

## SECTIO SEXTA

*Abfit autem, ut de Te id suspicer.*

**V**Era virtus suspicione caret. Malè consci homines ubique prompta laborant suspicione, quemadmodum qui vulneribus gravantur ubique tactum reformidant: licet error sit ubique vitandus, tolerabilius tamen est, si quis justificet peccatorem, quam si præjudicet innocentem. Frequens est in populo inepta suspicio de Principe, cujus actiones omnium subditorum oculis patent, quorum unusquisque in suo sensu abundat; huic calamitati potissimum obnoxii sunt Pontifices, qui cum omnium oculis servire debeant, omnibus placere vix possunt; Ceterum quis sanctum dubitet esse eum, quem apex tantæ dignitatis attollit, in quo si defint bona acquisita per meritum, abundant, quæ a loci Prædecessore præstantur; aut enim claros ad hæc fastigia erigit Deus, aut qui eriguntur illustrat. Solus Deus scrutator est cordium: Dei igitur gloriam deprædarí videtur, qui per malam suspicionem aliarum mentium arcana perquirit. Hoc habet omnis affectus, ut in quod ipse insanit, in idem quoque cæteros putet insanire. Ut plurimum omnis homo ex se existimat alterum. Facilius vitia uniuscujusque, quam virtutes intendimus; nec quid boni quisque gesserit agnoscere valemus, sed quid male fecerit perscrutamur; proinde vitia nostra

sx-

sæpe retorquemus in alios . Eadem sollicitudine , quæ suscipiari non debemus , etiam tenemur , quantum in nobis est , suspicionis causam avertere . Lysander militem , qui de via deflexerat , castigavit ; ei dicente milite , se ad nullius rapinam ab agmine recessisse , respondit : *nec speciem quidem rapturi præbeas volo* . Ad suspicionem avertendam , etiam plura , quæ licent , non semper expedient ; Nullibi magis viget suspicio , quam in aulis ; ubi abundat invidia , ibi facilius nutritur suspicio . Ut autem quantum sibi par est ab Aula sua hoc malum avertat Pontifex ; debet tanquam Pater communis Filiorum causas expendere ; ita ut nulla apud ipsum appareat personarum acceptio . Facile , implebit hoc munus , si ad carnem , aut sanguinem nunquam respexerit . *Si mei non fuerint dominati , tunc immaculatus ero* .

## S E C T I O S E P T I M A

*Novi quibus deliciis dulcis quietis tuae non longe  
antehac fruebare .*

**M**Onasticæ quietis dulcedinem , de qua hic differit Sanctus Bernardus , Eugenium alloquens , ex Claustro ad Pontificatum assumptum , cum amaritudine , quam præferunt sæculi vexationes comparatam exhibet , ut rectum de ea judicium proferre valeat Eugenius . Surgit occupatus urbium habitator infelix , surgit hilaris quieti Monasticæ addictus , quem statum nulla voluptas occupatorum , nullæ unquam urbanæ deliciæ , nulli regnorum fastus æqua- verint . Ordo Claustri , & ordo Sæculi quām divisus est ! ibi Sedes in insidiis cum divitibus in occultis , ut interficias innocentem ; hic audis : non sedi cum concilio vanitatis , & cum iniqua gerentibus non introibo : ibi insidiaris , ut rapias pauperem , cum attrahis eum ; hic dicas : odivi Ecclesiam malignantum : ibi dextera tua repleta est muneribus ; hic lavas inter innocentes manus tuas : ibi

ibi laudatur peccator in desideriis animæ suæ , & iniquus benedicitur ; hic Dei & Sanctorum personant laudes . *Sanctus Greg. Naz. Orat. 2. Ab arce nostra , idest Monasterio , redeo ad Mundi pulverem , ac tumulum , dicere consueverat , quoties e Monasterio Urbem adire contigerat Nazianzenus : sed expressius Divus Gregorius à quiete Monastica ad Pontificias curas assumptus , lamentatur amissam tranquillitatem cordis , quæ fruebatur , dum Monachum ageret . Lib. 1. Moral. At me multum deprimit honor onerosus , curæ innumeræ perstrepunt ; Nulla cordis quies est . Quasi enim prospero statu navigabam , cum tranquillam vitam in Monasterio ducerem : sed procellos subito motibus tempestas exorta , in sua perturbatione me rapuit , & mentis naufragium pertuli .*

## SECTIO OCTAVA

*Non potes his diffuevisse tam cito ; ita subito non dolere nuper subtractas . Plaga recens dolore non caret . Neque enim hoc jam occuluit vulnus , nec in tam brevi versum in insensibile est .*

**A**B Angelico prim. 2. q. 49. ar. 1. Habitus definitur , qualitas de difficulti mobilis ; proinde semel ac quis , sive in bono , aliquandiū delectari studuit , sive etiam in malo sibi complacuit , difficulter patitur ab uno , aut alio amoveri . Delicias nuper subtractas , quis non doleat . *Plaga recens dolore non caret . Delicias , quibus Monachi in solitudine assuescunt , sibi subtractas queruli repetebant animo , sanctiores Viri ad Ecclesiæ fastigia assumpti , satis enim erat ipsis compertum , non esse facile stare loco Pauli , tenere gladium Petri .*



## S E C T I O N O N A

*Quamquam, si non dissimulas, non deerit tibi jugis  
materia justi doloris, a quotidianis damnis,  
& jacturis.*

**N**ec omnia, nec semper, juxta veri regiminis regulas dissimulanda. Dissimulatio quam non regit prudenter, fatuitas est. Multi sunt, qui externo honore capti, & præoccupati dissimulant interna damna, quibus succumbunt, præferentes transitorum lucrum jacturis, circa quas magis deberent invigilare solliciti: Hæc ut plurimum calamitas eorum est, qui juxta sensum Davidicum, cum in honore sunt, non intelligunt.

Sed potissimum in Pontificali folio constituto non deerit jugis materia justi doloris à quotidianis damnis & jacturis, si meminerit professionis, meminerit debiti, meminerit Domini, quibus omnibus satisfacere difficile est inter tot curas, quibus angustiantur Pontifices. Meminerit professionis, quæ sanctitatem in profitente requirit, meminerit debiti, quo nullum gravius, cum debeat omnium providere saluti, meminerit Domini, qui læsus, nulli magis, quam suo Vicario irascitur. Utique in hac meditatione non deerit Pontifici (si non dissimulat) jugis materia justi doloris. Si attendat ad enervatam disciplinam ecclesiasticam, ad Catholicorum mores in pejora labentes, ad insolecentem hæreticorum proterviam: Nonne hæc jugis materia justi doloris, justi, ait, sæpe enim dolemus, ubi dedolere potius esset, & ea dissimulamus, quæ serio ponderata justum deberent excitare dolorem. Dolor inopportunus imbecillitas est: non dolere, ubi non deerit causa justi doloris, insensibilitas est.

## SECTIO DECIMA

*Invitus, ni fallor, avelleris a tua Rachelis amplexibus,  
& quoties id pati contigerit, toties dolor  
tuus renovetur, necesse est.*

**D**ignè eligitur ad ministrandum in Ecclesia Dei, qui invitus avellitur; Quoties autem id pati contigerit, toties dolor renovetur necesse est, semper enim se impares tanto oneri subeundo sentiunt, qui dignius ministrant: siquidem cum timore, & tremore, sicut par est Apostolicum munus subeundi, cogitant quod Prædecessorum suorum sanctitatem æmulari tenentur, & sequi vestigia, qui ad Sanctorum fastigia elevantur. Miror olim invitatos avelli a Claustris ad Ecclesiasticas dignitates sanctissimos viros, nunc vero temporis conspicimus homines ad hæc ministeria impares, latabundos Sedes Episcopales concendere, & ad has obtainendas totis viribus inniti. Profecto occupant, non implet sedem, quos introducit ambitio, qui non avelluntur inviti. Usitatum Patribus, & Theologæ Mysticæ scriptoribus, nomine Rachelis, & Liæ, contemplativam, & activam vitam designare. Ambæ quidem Uxores Jacob, sed alteram foecunditas, alteram venustas commendabat: quæ duæ dotes disparibus utriusque vitæ officiis applicari solent; proinde Marthæ, & Mariæ nomina non raro usurpari videas. Itaque insinuat Bernardus Eugenium, haec tenus vitæ contemplativæ studiis deditum, ægre ad activæ vitæ negotia descendere, utpote quæ variè distrahunt mentem, & penè obruunt, ut vix subinde ad superna, ac divina valeat assurgere.

Sanè, quam molestum sit viris piis, & religiosis avelli à sanctæ contemplationis otio, ad negotia seculi, ad dignitates, & honores, tot tantisque occupationibus obnoxios pertrahi, ex sanctissimorum Patrum scriptis, rebusque gestis colligitur. Eorum verbâ meritò inculcanda his, quibus non horret animus ad tot curas, & contemplationis

re-

remoras, & esse sub sentibus, quasi delicias computant: longè ab istorum sensibus erat S. Gregorius in Moral. Alta quietis meæ gaudia perdidì, & intus corruens, ascendisse exterius videor. Unde me à conditoris mei facie longè expulsum deploro &c. & paulo post. Undique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita ut rectè dicam. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me, redire post causas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus, redire non possum. Ex hoc ergo mibi longè factum est, quod intra me est, ita ut obedire nequeam propheticæ voci, quæ dicitur. Reddite prævaricatores ad cor. Sed stultis pressus cogitationibus, solummodo exclamare compellor. Cor meum deriliquit me. Contemplativae vitæ pulchritudinem, velut Rachelem dilexi sterilem, sed videntem, ac pulchram, quæ & si quietem suam minus generat, lucem tamen subtiliùs videt. Sed quo iudicio lux mibi in nocte, eò juncta est activa, videlicet vita fœcunda, sed lippa minus videns, quamvis amplius pariens. Sedere ad pedes Domini cum Maria festinavi, verba oris ejus percipere: & ecce cum Martha compellor in exterioribus ministrare, atque erga multa satagere. Ita Pontifex verè sanctissimus: heccine sunt sensus quorundam Antistitum, qui de solo insulæ honore intumescentes, parum, aut nihil de onere cogitant, vel de reddenda villicationis ratione meditantur. Faxit Deus ut nunquam videre contingat Episcopos, quorum cura statim ac Episcopatus Cathedram concidunt, in splendido comitatu componendo tota versetur, & captivandæ Principum benevolentiae, ita ut penè dixeris Antistitis munus in hoc primario consistere, si affectatum Aulicum studeat se exhibere.

e originis in usq; exhortatione nullitas auctoritate, etiam  
cum ratione monachorumque auctoritatib; alioquin etiam  
admonitione eundem arbitrii, et quoniam vestigia dabo  
scabiei munera, emulatio & vaingloria. Verum non possunt  
deinde esse certe, et monachorum A; si compotum per eum  
To. I.

## SECTIO UNDECIMA

*At quando non contingit , quoties conaris , & non datur  
ultrà , eniteris & non obtines , parturis & non paris ,  
tentas & abriperis , & ubi incipis , ibi deficis ,  
& dum adhuc ordiris succidunt te .*

**V**ituperationem generant , quæ laudabiliter suscepta in mediis conatibus imperfecta relinquuntur . Qui enitetur in bono , ita debet eniti , ut tandem obtineat . Perseverantia est consumatio virtutis : *in apophleg.* : Diogenes cuidam monenti , ut jam senex quiesceret a laboribus . *Quid ( inquit ) si in stadio currerem , utrum oppoteret ;* jam metæ vicinum , cursum remittere , an magis intendere ? Rectè sensit virtutis studium eò magis , & constanter intendendum , quò minus superest vitæ ; Quod turpe sit tum ab honesto instituto refrigescere . Itaque in virtutis stadio debet unusquisque ita conari , ut semper detur ultrà ; ita eniti , ut obtineat , ne ibi deficiat , ubi incipit , & dum adhuc orditur , succidi patiatur . Potissimum expedit , ut quæcunque Princeps recto dictamine movet , etiam promoveat , ne in numero illorum computetur , qui volunt sed incassum , movent , nec promovent , conantur nec datur ultrà . Facilius autem promovet Princeps , quæ procul à passionibus movet . Cæterum mouere , & non promovere , regnantum authoritati non modicum derogat . Nihil æque detrahit authoritati Principis , quām sæpè facere mutanda , & quæ destituat statuere . Princeps ut quantum sibi par est , debitum suæ dignitati servet decorum , ut subditos in debitâ suis mandatis contineat obedientiâ , ita eniti debet , ut quæcumque movet , etiam promoveat , hanc veritatem sibi persuadens , quod in omnibus , sed præcipue in Principibus vituperationem generant , quæ semel laudabiliter suscepta , in mediis conatibus imperfecta relinquuntur . Virilem , & Apostolicum animum induere opus est , quotquot se Apostolorum successores esse gloriantur .

riantur, ita ut quæ recto dictamine movent; quantum in ipsis est semper promoveant. Solam constantiam in rebus agendis, omnis consumationis finem videre, longa probavit experientia.

## S E C T I O D U O D E C I M A

*Venerunt Filii usque ad partum, ait Propheta,  
& vires non habet parturiens.*

**H**Anc similitudinem, etiam usitatam habemus in sacris paginis, ad significandam vim doloris; dolorem exprimit S. Bernardus, quem patitur, qui enititur, & non obtinet, quod sæpe, sic disponente Deo, contigit Principibus, ne inter regios fastus, & impertitam ipsis à Deo potentiam, fragilitatis humanæ conditionis obliviscantur, cui velint nolint subjacere conantur.

## S E C T I O D E C I M A T E R T I A

*Nostrum hoc? Nemo te melius.*

**Q**Ui se nihil putat maximè se novit: unusquisque sibi est adulator, ideo pauci ad veram sui cognitionem pervenient. Reddat homo se sibi, statuat se coram se tanquam alterum, & statim sui cognitionem acquiret: aliena enim rectius conspicimus, quam nostra. Appellat Plato ignorantiam sui. *Genus improbitatis universæ*. Necessaria utique sui ipsius cognitio in omnibus, sed præcipuè in viro Ecclesiastico. Ideò præceperat Deus, ut juxta labium, in quo lavabantur Sacerdotes, penderent specula, in quibus discernerent, si quæ in veste, aut vultu maculâ forderent. Quot Sacerdotes, quot Præfules, si ad propriæ conscientiæ speculum accederent, se se foedatos consiperent: Nemo potest se melius noscere, quam si se statuat ante speculum suæ conscientiæ. Sæpe honores ob-

nubilant mentem, ne ad propriam cognitionem valeat aſurgere. Philippus Macedo post partam Atheniensium viatoriam, ne quid per fastum committeret, hoc instituit ut quotidie manè excitaretur à ſomno his verbis : *Surge Rex, & hominem te eſſe memento.* Nofcant ſe Principes, & nequāquam ſe credant à conditione humanae infirmitatis alienos. Placilla Theodosii Imperatoris uxor pientiſſima, ſubinde Maritum admonere solebat, jam in Cæſarem electum, ut ſe olim privatum hominem cogitaret, quem putabat præ cæteris ad Romanæ Republicæ gubernacula aſſumptum, non ut ferocius ſuperbiret, atque jam Deum ſe factum existimaret, ſed ut hominem ſe eſſe cogitans, multis cum ſuis ſubditis fragilitatibus obnoxium, rite gubernaret Imperium, tanquam Dei ſervus. Utique ſi Principes aliquandò reciperenr ſe intra ſe, ut ſeipſos cognoverent, melius etiam præfuerent. Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? qui ſeipſum cognofcit, ſui Praeceptor evadit. Redi per conſiderationem ad cor tuum, quiſquis ſapientiam, & prudentiam deſideras. Discute teipſum, undē venis, quō vadis, quomodo vivis, quantum profiſis, quantum defiſis, quibus affectibus impetiris; ſi noſti hoc ſapiens eris.

### S E C T I O D E C I M A Q U A R T A

*Attrita frontis es, & instar vitulae Ephraim, docti diligere tritoram, ſi (quod pace tua loquar) ſic ſe habent res tuae.*

**I**Nternas negligunt animi curas, qui inani dignitatum fastu ſunt capti, neque cogitant quanto diſpendio emant dolere; docti diligere tritoram, tota anxietate querunt, quod nonniſi doloris eſt argumentum. Vexantur homines ſpe vana ſeduſti inter mundanas follicitudines, quæ non ſunt, niſi afflictio ſpiritus. *Quid ſentiendum de iſis, niſi quod instar vitulae Ephraim, docti ſunt diligere tritoram?*

Auli-

Aulicus in atrio Regis noctes ducit insomnes cum dispensio salutis, ut tandem remunerationem à Rege accipiat, quam non nisi annosus consequitur, quando mundo, & vanitatibus jam propè cedendum. *Diligit trituram.* Mercator se suaque bona, per longa Maria exponit naufragio, millies moriens inter fluctuantes undas, antequam reviviscat in portu. *Diligit trituram.* Regius Minister totus Régi, nihil sibi vivit, rationem ministerii pro benemeritis saepe coactus reddere cum discrimine vitae. *Diligit trituram.* Videre est aliquando virum Ecclesiasticum, apparenter æmulari meliora charismata, à quibus cor habet alienum, operante in eo malitiæ, quod nequit obtinere virtus obligata; & eò usque sanctitatem fingere, donec constituatur in aliquo Episcopatu super oves pascuæ Domini, quarum deindè vellera, non animas quærerit. *Diligit trituram;* sed adhuc deplorabilius, quod in dilectione tritureræ, ita facti sunt attritæ frontis, ut vix amplius consilia recta percipient, per quæ resipiscere valeant: proinde obdurati in malo, ita in eodem sibi complacent, ut meritò de iisdem dicatur, quod dati sunt in reprobum sensum: *Osee 10. 13.: Qui arat impietatem, metit iniquitatem;* quapropter comparantur hujusmodi homines vitulae Ephraim, quæ diligit trituram; consuetudo enim est pro stimulo cuicunque in malo tabescenti. Exprimit hac similitudine Sanctus Bernardus illorum viam, qui ita in malo obdurantur, ut tandem quasi vitula trituram diligens, in eodem sibi complaceant. Sicut enim vitula ad laboriosam trituram condocetur per pabulum, quod ex areâ capit, ita ut licet à tritura dimissa, spe pabuli alliciente, sponte ad trituram redeat; sic homines, semel ac in malo sibi complacere incipiunt, licet aliquandiù ab eodem recedere videantur, sponte tamen ad malum ipsum revertuntur, in quo semel, & iterum sibi complacere, jam didicerunt. Èadem similitudine, qua Sanctus Bernardus, utitur ad rem Magnus Gregorius lib. 2. Moral. . *Vitula tritureræ laboribus assueta, relaxata plerunque ad eundem labo-*

*laboris usum, etiam non compulsa revertitur: ita humana mens hujusmodi servitiis dedita, & rerum temporalium fatigationibus affueta, etiam si sibi liberè vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat, & usu misera conversationis, tritaram laboris querit, ut à jugo mundanæ servitutis cessare non libeat, etiam si liceat.*

### S E C T I O D E C I M A Q U I N T A

*Abfit: hæc est pars illius, quæ datus est  
in reprobum sensum.*

**Q**uisquis sibi inscius vivit, neque bonum à malo vallet discernere, ut studeat discutere, datus est in reprobum sensum. Qui identidem se non colligit intra se, & in curis externis se totum dissipari permittit, non minus quam fatigari, declinavit in obligationes, proinde adducetur cum operantibus iniquitatem. Prius internis, postmodum externis curis vacare expedit. Sicut in dignitatibus conferendis, ordo meriti præferendus est, sic & in rebus agendis gravitas negotii debet prælationem habere. Quid sentiret Rex de Ministro qui sollicitus in parvis, maxima negotia cum dispendio regni negligenter? Utique non reciperet mercedem adhibitæ sollicitudinis, sed inter infideles Ministros foret computandus; idem sentias, & apud Deum, qui suis in Ministris prius propriæ animæ curam, deinde aliarum sollicitudinem exigit: nulli enim fas est, etiam cum certitudine lucri omnium animalium, propriæ animæ salutem negligere. Qui hoc fecerit, partem habebit cum eo, qui datus est in reprobum sensum.



## S E C T I O D E C I M A S E X T A

*Ab his sane cupio tibi pacem , non cum his : nihil tibi plus metuo pace ista.*

**V**Era quies est vivere de sua salute solicitum : Ab his qui secus fecerint cupio tibi pacem , non cum his . Siquidem cum his pacem si habeas , illa profecto pax erit de qua legitur : *Jerem. 6. : Pax Pax , & non est Pax .* Qui pacificè vivit proprià salute , & internis curis neglegit , est in dissidio cum Deo : nihil plus metuendum pace istà .

## S E C T I O D E C I M A S E P T I M A

*Miraris si unquam possit accidere ? etiam dico tibi potest , si res ( ut afolet ) per consuetudinem in incuriam venerit .*

**E**Minentia dignitatis , non tollit fragilitatem humanæ conditionis: non modò subditorum , sed etiam Principum calcaneo vitia insidiantur . Miraris si unquam possit accidere ? etiam tibi , quacunque fulgeas dignitate potest contingere , ut declines à virtutibus , & labaris in vita , ubi res per consuetudinem in incuriam venerit . In negotio salutis nemo sibi velit satis fidere ; nimia fiducia pluribus calamitatibus est obnoxia : *Eccles. 19. 1. Qui spernit modica , paulatim decidet .* Ubi res per consuetudinem in incuriam venerit , quid mali non timendum ? *S. Hieron. ad Letam : Egrè reprobendas , quod finis confusceret .* Facile cor humanum omnibus , quæ frequentat adhæret : consuetudo enim debitores facit . Peccata ipsa quamvis magna , cum in consuetudinem venerint , aut parva esse , aut nulla creduntur usque adeò , ut non solum non occultanda , verum etiam prædicanda credantur : *S. Aug. in Psal. 30. : Vincere consuetudinem dura est pugna .*

CA-

## CAPUT SECUNDUM

## SYNOPSIS.

*Docet pravos mores facilè abire in pravam consuetudinem.  
Vis malæ consuetudinis per suos gradus expenditur, quo-  
rum ultimus est cordis duritia. Quid sit cor durum.  
Quà ratione malæ occupationes perducant ad duritiam  
cordis.*

## SECTIO PRIMA

*Noli nimis credere affectui tuo, qui nunc est.*

**F**allitur quisquis se pacificum possessorem virtutum ar-  
bitratur, usque dum viator est in hoc mundo; ubi cir-  
cumquaque inflant aquilones vitiorum, facilè extinguitur lu-  
men virtutum. Qui desert lumen in viâ non credit aeris,  
etiam si viderit esse tranquillum, nam si vel ad modicum  
tempus manum remiserit, facilè potest lumen extinguiri;  
vigilandum itaque, & omni sollicitudine vigilandum su-  
per affectus nostros, neque iisdem nimis credere expedit.  
Ubi Petrus ad ancillæ interrogationem, metu mortis vitam  
negavit, postquam cum Christo se paratum obtulerat in-  
carcerem, & in mortem ire, exemplo suo omnes poste-  
ros docuit, *ne quis nimis credit affectui suo.* Contra ma-  
ligni hostis insultus, nemo unquam se satis munitum arbit-  
retur. Qui nimis credit affectui suo, facilè decipitur. Ni-  
mium audax est, qui stare contendit, ubi alios cecidisse vi-  
derit. Temerarius est, cui non incutitur timor alio per-  
eunte. Multos impedit à firmitate præsumptio firmitatis.  
Nemo siquidem erit à Deo firmus, nisi qui à se ipso sen-  
tit se infirmum. Quia prima stultitia Angeli elatio cor-  
dis fuit, vera sapientia hominis efficitur humilitas suæ æf-  
timationis, à qua valdè se probat alienum, qui nimis cre-  
dit affectui suo. Sæpe pià conditoris dispensatione agi-  
tur,

tur, ut anima quæ nimis credit affectui suo tentatione pulsetur, quatenus infirmata quid sit inveniat, & præsumptionis propriæ fastum deponat. Quicunque sis noli nimis credere affectui tuo; si fortè ambulas in aliquo fervore spiritus, nam nimia credulitas de proprio affectu, sanctioribus viris sæpe fuit obnoxia. Qui bonum intra se experitur affectum, semper eniti debet, ut affectum roboret, si tandem non vult sentire defectum. Potuerunt deficere sanctiores, quid non timendum à peccatoribus. Vitia facilius, quam virtutes inferuntur: è converso, facilius istæ, quam illa avelluntur. Noli ergo nimis credere affectui tuo, qui nunc est. Cupis non excedere credendo affectui tuo, disce noscere te ipsum, id est fragilitatem tuam. Homo es nihil à te alienum puta. Nimia credulitas proprio affectui, semper exinanivit recta consilia. Non ratio regnat, sed passio, ubi proprius dominatur affectus.

## S E C T I O S E C U N D A

*Nihil tam fixum animo, quod neglectu, & tempore  
non obsolescat.*

**C**ustodiri negligentius solet, quidquid facile creditur posse reparari. Sæpe ex continuato neglectu sequitur irreparabile malum. Multarum Urbium negligentia exterminium fuit; sic etiam multis animabus paravit extitum. Animus bonis foecundus affectibus, continua indiget cultura, ut bonos valeat producere fructus in tempore suo; Cæterum si negligatur, statim spinas, & tribulos germinabit. In discernendis verò bonis, à malis affectibus, opus est spiritu discretionis, quia ut plurimum fallit nos proprius amor, valde propensus, ut nimium credat affectui suo. Non æquum se probat astimatorem rerum, qui totus ad externa negotia sollicitus, interna negligit, nimis credens affectui carnis, & sanguinis, seque totum aliò di-

To. I.

D

stra-

strahi patitur. In nimia extenorū sollicitudine, facile refrigerescit bonus affectus; nihil tam fixum animo, quod neglectu, & tempore non obsolescat; nihil est, quod non abradat tempus, cuius proprium est inducere vicissitudines.

## SECTIO TERTIA

*Vulnēi vetusto, & neglecto callus obducitur, & eō insanabile, quō insensibile fit.*

**Q**Uæ facili avulsione extirpantur, dilato tempore vix securi succumbunt: Facilius morbi præveniuntur, quam expellantur. Qui præsunt, non tam debent pullulantes abusus divellere, quam prævenire, ne erumpant. Malitia subditorum redundat in Superiorē, et si non delinquentem, pro viribus tamen non prohibentem. Nam Gregoriana sententia est: *in Moral. Facti culpam habet, qui quod potest, neglit emendare;* Ubi Superior nascentem abusum neglexerit, obducetur callus, & fiet vulnus eō insanabile, quō insensibile. Abusus neglectus, contrā omnem legem acquirit vim legis. Principiis obstandum, & sine dilatione in his causis applicandum remedium: serò siquidem medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. Mali humores in corpore per viam vicinam sunt educendi, in longa enim viâ, vires medicamentorum dissipantur. Idem sentias, & de malis humoribus in animo. Lenta remedia ad compescendos abusus adhibita, ut plurimum inutilia fuisse comprobavit experientia. Præcipiti morbo, præcipiti medicamine obviandum est, ne per lentam operationem vulnus callum obducatur. Non simpliciter mederi, sed brevi mederi laudabile est. Optimus est Medicus, qui non finit ægrotos extabescere. Magis quippe optandum est omnino non pati, quam à morbo sanari; sic laudabilior est Gubernator, qui in pace urbem scit custodire, quam qui post dissidia, studet in tranquillitate componere.

SE-

## S E C T I O Q U A R T A

*Denique dolor continuus, & acerbus diuturnus esse non patitur, nam si non aliunde extunditur, necesse est cedat vel sibi; enim verò citò aut de remedio consolationem accipiet, aut de assiduitate stuporem.*

**P**luribus Philosophorum placitis confirmatam invenire est hanc Divi Bernardi sententiam: *dolor continuus, & acerbus diuturnus esse non patitur.* Mortalium infirmitates, vel adversitates, & ventorum fatus, non semper impetum habent, *Euripides*. Nullus dolor est, quem longitas temporis non minuat, atque molliat, *Cicero*. Simile invenitur apud Senecam ep. 70.: *Summi doloris intensio citò invenit finem, nemo potest valde dolere, & diù. Magnitudo doloris finem spondet,* Nemo enim diù moritur. Siquidem intensus dolor, quasi callum obducit dolori. Nec desunt quorum dolor, quoniam accepit de assiduitate stuporem, factus est planè insensibilis; utique istorum plaga est pessima vehementer, quoniam vix amplius potest recipere de remedio consolationem. Hi sunt, qui miserè torpentes in aliquo vitio, nihilominus se defectibiles non cognoscunt, & interim stare credunt, dum miserrimè cadunt.

## S E C T I O Q U I N T A

*Quid non evertat consuetudo? Quid non assiduitate duretur? Quid non usit cedat?*

**N**on parvus est labor à mala, & longa consuetudine revocari, quoniam mos diù protractus, vim quodam modo obtinet naturæ. Gravissimum est Imperium consuetudinis. Malum si consuetum, quamvis leve, semper timendum; nemo enim repente fuit turpissimus. Ne dicas parva res est leve malum committere, parum non est levi etiam malo assuescere: difficile est vitia inveterata, etiam si

levia omnino abolere: qui diù in vinculis fuerunt, cum solvuntur vix possunt progredi claudicantes, ita diù vitiis assueti, etiam cum ea deserunt, quædam retinent vestigia. Assidua consuetudo vitium in naturam convertit. Consuetum simile est naturæ, quod enim sæpè fit, ferè accedit ad semper. *Quid non assiduitate duretur?* Lapidès excavant aquæ; quid durius lapide? Quid mollius aqua? Quibusdam hominibus assuetis paulatim venenum comedere, tandem venenum fuit eis in cibum, ita diutina mala, consuetudo facit, ut insensibiliter feramus. *Quid non assiduitate duretur?* Nives diutius conservatæ in altissimis montibus, in Cristallum mutantur. Veh homini sæpe labenti in aliquod vitium. Pluribus iætibus dejicitur quærcus: *S. Greg. homil. 31.: Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem; conatur, & labitur, quia ubi diù sponte persistit, ibi cum noluerit coacta cedit.* Dum consuetudini non resistitur facta est necessitas. Consuetudo tñm in bono, quæm in malo ingerit habitum: facit meliores viros, quæ potest facere belvas: consueta vitia serit qui non reprehendit. Nullum malum difficilius curatur, quæm quod multitudinis consensu asseritur, & excusatione blanditur. Quid non evertat consuetudo? Sed frustra conantur Superiores malas consuetudines avertere à subditis, quas ipsi deteriori confirmant exemplo. Ipsi viderint ad quos spectat corrigere, an debeant à seipsis emendationem incipere.

### S E C T I O S E X T A

*Quantis quod præ amaritudine prius exhorrebat, usu ipso amarum, in dulce conversum est.*

**S**Icut callus adimit sensum, ita consuetudo facit, ut mala insensibiliter ferantur, & ut vitia transeant in mores, ex quo sequitur multis, *quod præ amaritudine prius exhorrebat, quamvis amarum, usu ipso in dulce converti.*

Eò

Eò pervenit vis consuetudinis, ut in quibusdam vitia ipsa delectent. Sicque repetere juvat, quod jam dudum dicebat Salustius: *Vitia virtutum nomina sortita sunt: quia quod præ amaritudine exhorrebant homines, usu ipso in dulce conversum est.* Prius erubescabant viri Ecclesiastici protrahere colloquia etiam cum sororibus, nunc cum alienis familiaritatem inire, urbanitati adscribunt: prius alieni a vanitatibus, nunc student ornatui; prius non nisi in Cruce Domini gloriabantur, nunc in divitiis, in fastis, in pompis, in deliciis gloriam reponunt. Prius solè divites simplicitate cordis, etiam relictis retibus, dulce erat Apostolicis viris sequi Dominum; nunc amarum est eis inter Apostolicos viros adnumerari, nisi induantur purpurà, & bisso. Prius frugali mensà contenti, nunc splendide epulantur. Prius ad solas prærogativas gratiæ, non ad naturæ merita attendendo promovebantur, quos nobilitas ex pietate, & vita sanctimoniam desumpta commendabat, nunc prælationem habent, qui nobilitatem ex sanguine, & diplomatibus comparatam ostendunt; sicque usi ipso factum est, ut quod pridem erat amarum in Ecclesia Dei, jam penè in dulce conversum sit.

## S E C T I O S E P T I M A

*Audi justum, quid lamentetur super hujuscemodi: quæ prius tangere solebat anima mea, nunc præ angustiâ cibi mei sunt.*

**L**Uget adhuc in præsens Ecclesia plurim virorum jaeturam, qui quò sanctiores nauseabant ad vitia, semel ac declinare coeperunt, ita sunt deteriores effecti, ut *quæ prius tangere solebat anima eorum, postmodum quasi cibum suavissimum degustaverint.* Qui viam virtutis incedit, vix sibi persuadere potest, quæ ratione declinare valeat in vitia, sed si ad hæc identidem prosiliat, jam demum gaudet in vitiis, quorum vel ipso cogitatu horrore

con-

concutiebatur: Huic congruit, quod scriptum est *Job 6. 7.*  
*quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc cibi mei sunt.* Natura nostra ad vitia propensa, facilius cum vitiis, quam cum virtutibus commercium paciscitur, & quasi gaudens calcitrare contra rationis stimulum, eò firmius vitiis adhæret, quò efficacius ratio dissuadet; quapropter veh incipienti semel, & iterum aliquo vitio foedari, jam oppugnatus est: qui primis motibus viriliter non repugnat, ita obducet callum in vitio, ut deindè vix se peccare animadvertat. Nihil facilius quam frontem indurare in vitiis, & jugo præmi, quod prius intollerabile videbatur. Progradienti in via vitiorum, retrogredi difficile est. Cipienti à malis habitibus declinare, summa rei est à primis actibus abstinere; sed si semel inducat animum primis actibus indulgere, quasi coactus adhærere subsequentibus, postmodum bibet tanquam aquam iniquitatem, à quā prius coquinari adeò timebat, ita ut dicere valeat, *quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc cibi mei sunt.*

### SECTIO OCTAVA

*Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis, si assuecas judicabis non adeò grave, paulò post levè senties, paulò post nec senties, paulò post etiam delectabit.*

**Q**uasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum, nemo enim repente fit impius. Sed peccatum quod primo videtur importabile, processu temporis, *si quis assuecat, judicabit non adeò grave, paulò post, & levè sentiet, paulò post nec sentiet, paulò post etiam delectabit,* ex quo sequitur, ut qui peccati imaginem prius horrebat in aliis, in se deprehendat horribiliorem, & in vitio sibi complaceat, quod pridem jam dispicebat: *Aristot. I. Reth.*: *Multa quæ naturaliter non sunt deletabilia, cum assuefacta sunt, deletabilia sunt.* Cum vitiis nec levis ineun-

ineunda societas, hæc enim ita sensim se promovent, ut postmodum rapiant etiam invitatos. Prima vitia deceptæ menti, quasi sub quadam ratione se ingerunt, sed semel ac sunt introducta, contra rationem sentire compellunt. Hoc commune est cuicunque peccanti, ut quò sæpius, eò apertiùs delinquit: pudor enim velut vestis, quantò obsoletior est, tantò incuriosius habetur. Facilius est non suscipere vitia, quam semel suscepta deponere. Nolimus itaque contemnere venialia, quia minima sunt, sed timemus, quia ad maxima trahunt. Per gradus in cordis duritiam itur, & ex illà in aversionem; Timenda est ruita multitudinis, & si non magnitudinis peccati, quia ex minimis ad maxima gradum facimus. Prioris peccati peccatorum subsequentium foveâ tegitur; hoc quippe agitur, ut culpis culpa feriatur, quatenus fiant supplicia peccantium, ipsa incrementa vitiorum.

## S E C T I O N O N A

*Ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex illà in aversionem.*

**P**eccata neglecta quotidiè novas vires acquirunt. Difficulter quis fortè sibi persuadere poterit, quâ ratione ex levibus culpis reiteratis, *paulatim ire poscit in duritiam cordis, & ex illa in aversionem.* Audiatur hæc de re Sanctus Gregorius Doctor, & Pontifex homil. 25. *Non nunquam in parvis deterius, quam in majori peccatur, major enim culpa, quò citius cognoscitur, eò celerius emendatur, minor verò, dum quasi nulla creditur, eò pejus, quò & securius in usu tenetur.* Usitata enim culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem; conatur & labitur, quia ubi spontè diù persttit, ibi & cum noluerit cadit: Sicque ex reiteratâ culpâ, ad duritiam cordis, ex cordis duritiâ ad aversionem homo progressus,

ditur, nempè ex parvis peccatis in graviora labitur, quæ aliud non sunt, nisi formalis aversio à Deo.

### S E C T I O D E C I M A

*Sic etiam gravis, & continuus dolor, citum, ut dixi,  
habiturus est exitum, aut sanitatem profectio,  
aut insensibilitatem.*

**G**RAVITER, & diù dolere non potest humana imbecilas, aut naturæ dolor, aut dolori natura cedere debet: pariformiter & in animæ morbis rem se habere quotidiana comprobat experientia; aut enim, qui delinquit conscientiæ stimulis agitatus resipiscit, aut in peccatis perseverans, conscientiæ stimulis insensibilis factus, saluti recuperandæ aditum excludit; ità ut vel conscientia vitiis, vel vitium conscientiæ cedere teneatur. Quisquis peccatis coquinatus, conscientiæ stimulos non habet, babit tanquam aquam iniquitatem, neque curationem amplius sustinet, quia dolorem non habet; Veh animæ, quæ sine conscientiæ stimulis peccat, est mortua saluti.

### S E C T I O U N D E C I M A

*Hinc prorsus, hinc tibi timui semper, & timeo ne dilato  
remedio, dolorem non sustinens, periculo te  
irrevocabiliter desperatus immergas.*

**D**ILATUM remedium aggravat morbum, satiùs est initii mederi quam fini; Remedia enim, quæ in morbi initio esse possunt proficia, difficilius in fine fortiuntur effectum. *Periculo se irrevocabiliter desperatus immergit*, qui ingruente morbo, remedium negligit opportunum, vel imminens periculum devitare non studet. Nemo diù tutus est, qui periculo proximus est. Timere ad evidētia pericula non est timiditas, sed prudentia. Pericula despici-

despicere non est fortitudo sed arrogantia. Periculis se offerre temeritas est. *Eccles. 3. 27.* : *Qui amat periculum, peribit in illo.*

## S E C T I O D U O D E C I M A

*Vereor, inquam, ne in mediis occupationibus, quoniam  
multæ sunt, dum diffidis finem, frontem dures,  
& ita sensim te ipsum quodammodo sensu  
prives justi, utilisque doloris.*

**V**ix efficacior est dolor, atque utilior, quam qui concipiatur ex proprio detrimento: Dolor iste ad reparationem emergentis damni sollicitat, quo deficiente, plaga fit insensibilis, & irremediabile malum. Veretur Sanctus Bernardus, in quocumque exteris occupationibus, licet per se bonis, nimis addicto, periculum quod possit eundem trahere ad cor durum, quia difficilis vitantur pericula, quæ sub boni praetextu sunt obvia. Citius invenitur periculum, cum contemnitur: ubi res in periculum vertitur, nihil prudentius, quam optimo prævenire consilio. Inculcat itaque Sanctus Bernardus Summo Pontifici, ut se vel ad tempus subtrahat ab occupationibus, quam patiatur trahi ab illis; non enim arbitrari debet Pontifex satisfecisse muneri suo, si omnium providerit saluti, & suam neglexerit. Fortè aliqui Pontifices huic patuerunt ruinæ. Hinc monitum vult Sanctus Bernardus Eugenium, nimium enim præceps est, qui transire contendit, ubi conspexerint alium periisse. Hoc est periculum, quod sub specie boni, quemcumque Superiorum fallere potest, si sollicitus ut provideat aliorum indigentiis, seipsum negligat. Pericitatur pietas in multis negotiis. Prudentis Superioris est devitare pericula, lapsus enim Superiorum, secum trahunt magnam multorum ruinam. Præstat magis etiam ex parvo metu, adversus pericula se præparare, quam ex nimia securitate, & contemptu, se offerre periculis.

To.I.

E

S E-

## SECTIO DECIMATERTIA

*Multò prudentius te illis subtrahas, vel ad tempus,  
quàm patiare trahi ab ipsis, & duci certè  
paulatim, quò tu non vult.*

**P**rincipem in oblationibus, aut in levioris momenti providentiis totum immergere, sèpè numerò fuit ministerorum consilium, ut Principe in minoribus occupato, de gravioribus Regni negotiis, Ministri pro suo beleplacito valerent disponere. Multò prudentius Princeps ab hujusmodi occupationibus, studeat se subtrahere, vel ad tempus, quàm ab ipsis trahi patiatur cum sui, & Regni detrimento, gravioribus curis neglectis. Veh Regno ubi nomen & auctoritas Ministri, nomen, & famam Regis excedit; Princeps nec ità debet Ministris totum Imperii regimen committere, ut solo nomine regnet, nec ità Regni occupationibus quibuscumque immersi, ut totus ipsis deditus vivat, nihil sui sibi relinquens. Facile trahetur quò non vult, qui ab externis occupationibus, plusquam pars sit se subduci permittit, internis curis neglectis. Quotidianas expensas, quotidiano reciprocamus scrutinio, & ad propriam conscientiam discutiendam, per quàm raro accedimus. Quomodo prudentes æstimatorer rerum, qui magnam de minimis, parvam, vel nullam de maximis rebus curam gerimus, temporalia scilicet spiritualibus præferentes? *utique multò prudentius ageret, qui se studeret subtrahere, vel ad tempus ab externis vexationibus, & curis, ne trahi pateretur ab ipsis, & duci paulatim quò non vult, nempè ad cor durum à pietate alienum.* Huc ducunt mundanæ vexationes, quia periclitatur pietas in multis negotiis.

A multis, & externis occupationibus trahi Superiorem ecclesiasticum non expedit, qui nè externalium occupationum pondus tam grave experiatur, & nè ab illis trahatur quò certè non vellet, ea solum exequi debet, quæ sui præcisè sunt muneris, quapropter in suo regimine, suis

suis in occupationibus, non ad hominum placita, sed ad Dei beneplacita tantum debet respicere. Videre fuit aliquando Prælatos, ex nimio affectu in consanguineos, miserè tractos quò non voluissent, quia indulgentiores facti, plus, quām par fuerit, Domesticorum desideriis acquieverunt. Facilè trahetur Superior, quò non vult, si consanguineos suos nimio prosequatur affectu, & potiorem suæ occupationis partem, in eorundem petitionibus adimplendis constituat. *Beatus es Simon, qui à caro, & sanguis non revelavit tibi,* dixit Christus Petro; nec dubium beatum futurum quemcunque Antistitem, cui caro & sanguis non revelabit. Sæpè etiam trahuntur Superiores quò non decet, qui à in pluribus se ingerunt, quæ nullum cum suo munere patiuntur commercium. Indebito reciprocare volunt scrutinio, quæ in aulis Principum, vel in nobilium domibus, vel in privatorum familiis per dies geruntur. Curiosius investigant domesticos Secularium proventus, quotidianas expensas, facultates, vires, negotia, in quibus sub specioso prætextu exhibendi consilium, impendiendi opem, promovendi lucra, inter vana colloquia tempus inutiliter terunt, quod in suæ familiæ, in propriæ conscientiæ scrutinio, utilius possent consumere. Hinc oritur in Ecclesiasticis divagationis necessitas, internæ curæ neglectus, mentis dissipatio, enervatur devotione; sicque pauplatim refrigescente pietate, trahuntur quò si non volunt, quò certè non debent, nempè ad cor durum, quod in solo proprii status scrutinio, in solitudine spiritus, in abstinentiæ, quantum cum Ecclesiastico compatibile est à Secularium commercio emollitur. Scitè dictum, sacra sacris, secularia secularibus; veh si misceantur sacra profanis. Si Ecclesiastici, præterquam quod exigit munus suum, secularibus rebus se ingerant, brevi plūs Secularem, quām Ecclesiasticam præferent speciem, facilius enim vitia, quām virtutes induimus.

## S E C T I O D E C I M A Q U A R T A

*Qæris quò, ad cor durum.*

Cum in multis negotiis periclitetur pietas, ad cor durum pertrahi posse quemcunque externis occupationibus, plusquam par sit fatigatum, non incongruè timet Sanctus Bernardus, cuius monito, quām salubriter cautos vivere effet aulicos illos, qui ut Principi suo complacent, ad sola Ministerii sui negotia intenti, raro aut nunquam se intrà se colligunt, ut de internis animæ suæ negotiis, cum Deo rationem ineant, & ut fideles Principi suo appareant, infidi Deo viventes, soli Principi terreno vivunt, Deo mortui; proprioque detimento convicti, tandem aliquando inter mortis angustias fateri tenentur, quām verum sit, quòd *in multis negotiis periclitatur pietas*. Difficile est terrenis negotiis, plusquam par sit occupatum, se intra se colligere, ut conscientiae suæ provideat, & consequenter non trahi ad cor durum. Veritas est inconcussa, quotquot scilicet sublimioribus præciuntur ministeriis, opus habere inter vitam, & mortem aliquod intervallum admittere, nec omnino debent in gravioribus ministeriis confundescere, ut possint, vel in limine vitae reddere se sibi, & consequenter se Deo, post quām toto vitae suæ cursu vixerunt negotiis alienis; proinde sciente dictum ad illos; *multò prudentius te illis subtrahas, vel ad tempus, quām patiare trahi ab ipsis, & duci certè paulatim, quò tu non vis*. Raro contingit inter aulicos invenire, quibus hæc necessaria veritas illucescat; inter vitam scilicet, & mortem, necessarium esse aliquod intervallum admittere, quò reddat homo se sibi, & se Deo, saltem in extremis, postquam reliquum vite tempus, sæculi & aulæ occupationibus addictus transegit, inter quas paulatim induunt homines cor durum; his congruit D. Bernardi aureum monitum repetere. *Multò prudentius te illis subtrahas, quām patiare trahi ab ipsis. Quò nunc timore*

more justè non concutiantur, quicunque mundanis occupationibus vivunt, plusquam par sit fatigati, ex quo monente Sancto Bernardo, compertum habent, quòd multæ occupationes trahunt ad duritiam cordis. Si ut par est expavescant, discent utique se aliquando ab illis subtrahere, ut possint ad seipso revertere, quibus per Prophetam dicitur *Isaiae* 46. 8. *Reddite prævaricatores ad cor.*

## S E C T I O D E C I M A Q U I N T A

*Nec pergas querere, quid illud sit: si nea  
expavisti, tuum hoc est.*

**S**Æpè fingimus nescire defectus, quos tamen habemus in praxi: nec expavescimus malum, quòd jam opprimimur, quia quòd insensibilius, eo velocius in vitia labimur. Plangimus ut plurimum vitia, quæ in aliis animadvertisimus, cum tamen potiori jure, flere deberemus supernos, & super excessus nostros, utpotè iisdem vitiis, non minus miserè, quam turpiter coinquinatos; Quapropter passionum nostrarum misero sub jugo ingemiscimus; Unde fit, ut nunquam accingamus tam miserabile jugum excutere, proprio amore decepti. Si sic vivimus, jam frustra pergimus querere quid sit cor durum, profectò nostrum hoc est, si tamen ut par est, expavescimus ad iniquitates nostras.

## S E C T I O D E C I M A S E X T A

*Solum est cor durum, quod semetipsum  
non exhorret, quia nec sentit.*

**D**iscernere non valemus defectus nostros, quia unusquisque sibi est adulator. Quemadmodum oculus alia videns, seipsum non cernit, sic etiam mens nostra corrupta, aliena vita magis spectat, quam sua; quisquis

es attende tibi? ne quando fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas: assuecat ab exterioribus identidem recedere, & ad se redire, qui ad cor durum non vult transire; qui dicet cum Propheta, *Thren. 3. 11. Ego vir videns paupertatem*, subjunget cum Davide, *Psalm. 130. 1. Domine non est exaltatum cor meum*. Tunc incipit benè homo philosophari, cum incipit seipsum cognoscere. Cognovit seipsum, qui ad se revertitur. Multi se non cognoscunt, quia semper ad exterioria diffusi, nunquam redundunt se sibi, & inter multas occupationes (utinam à ratione non alienas) induunt cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia obcæcum est, & propriam deformitatem esse credit alienam. Multæ occupationes, malorum internorum oblivionem producunt; Malorum suorum oblio gignit audaciam. Qui audax est induit cor durum, *quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit*.

## SECTIO DECIMASEPTIMA

*Quid me interrogas? Interroga Pharaonem.*

**P**Haraon nec momenti Moysi, nec minitanti Deo, imò nec flagellanti cessit, ut duritiam cordis excuteret, & rediret ad saniorem mentem. Sic videre est homines, saeculi negotiis immersos, vix aliquando admittere monita pietatis, aut salutis consilia; si quid legant, vel audiant hujusmodi, non intelligunt sibi dictum, nempe intellectu aliis intento; aut si intelligent, negligunt tamen, affectu aliis inhiante; Ad verba Dei surdi, imò ad verbera stupidi, aut potius stipites facti. Hinc videre est, occupationum quanta sit noxa, nisi quis cautelam Bernardi adhibeat, nisi scilicet, se quis ab illis subtrahat, vel ad tempus, quām patiatur trahi ab ipsis, & duci paulatim ad cor durum.

## S E C T I O D E C I M A O C T A V A

*Nemo duri cordis salutem unquam adeptus est, nisi quem  
forte miseratus Deus, abstulit cor lapideum ab eo,  
& dedit illi cor carneum.*

**C**ordis lapidei nomine, de quo apud Ezechielem iterata fit mentio, perspicuum est apud omnes Scripturæ Interpretes, summam ingenii, & cordis humani duritiem denotari, quam adumbrabant tabulae lapideæ, ad quas alludit Apostolus ad Corinthios: sicut etiam apud eosdem scripturæ paraphrastes, legimus cordi lapideo opponi cor carneum: non quod in carne versatur (ut accipi solet hoc epitheton, quando caro spiritui opponitur) sed è contrario, quod vi spiritus Dei, factum est molius, ut in eo, tanquam novis tabulis, possit Evangelii gratia insculpi, sicut prædicatum est apud Jeremiām. Donum Dei est cor lapideum exuere, & cor carneum induere, sine cuius adjutorio conatus nostri omnes cassi sunt & inanes; propterea nemo duri cordis salutem unquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus, abstulit ab eo cor lapideum, & dedit illi cor carneum.

## S E C T I O D E C I M A N O N A

*Quid ergo cor durum, ipsum est, quod nec compunctione  
scinditur, nec movetur precibus, minis non cedit, fla-  
gellis duratur, ingratum ad beneficia, ad consilia infi-  
dum, ad judicia furdum, inverecundum ad turpia, im-  
pavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temera-  
rium ad divina, præteriorum oblivious, presentia ne-  
gligens, futura non providens.*

**O**mnis peccator, tunc se cognoscit visitari à Domino, quando compungitur ad lacrimas; nam & Petrus tunc flevit, quando Christus in eum respexit. Respicit ad

ad nos Deus, cum stimulis conscientiae agitamus. Quatuor sunt compunctionis motiva; memoria peccatorum, recordatio poenarum, consideratio hujus peregrinationis, desiderium Patriae. Indicium autem verae compunctionis, est subtractio occasionis; sed itidem verum est, quod compunctionis cordis non viget in deliciis: ipsi viderint, qui de-liciis facili cor apponunt, quia ratione habere possint cor carneum, an potius inducant cor lapideum, quod juxta Sancti Bernardi monitum, *nec pietate mollitur*, *S. Greg. in Moral.* *sub quavis ueste bene collitur pietas*; sed non in quovis corde pietas germinat. Cor durum pietatem non recipit, pietatem enim non sentit, qui amorem non habet. Pietas autem amor est erga Deum, & exercitatio in meditatione divinorum, a quibus cor induratum longe vivit alienum. Decet pietas, sive consideratio, principi Apostolicos viros, de hac Apostolus dilectum discipulum suum admonet dicens, *1. ad Thim. 4. Exerce temetipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas vero ad omne opus bonum est utilis, habens promissionem vita, quae nunc est, & futurae:* Ad imitationem Apostoli, hortatur Sanctus Bernardus Eugenium, interrumpe occupationes externas, ut identidem possit pietati, sive considerationi vacare, quia deficiente cor induratur: Qui secus fecerit, inter illos computabitur, quos perstringit Apostolus, *3. ad Thim. 3. Sunt aliqui formam quidem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes*. Cor durum, *nec movetur precibus*. Quomodo precibus cedere valeat cor induratum, quod internis conscientiae stimulis non commovetur. Preces non audit, qui minas despicit; Frustra peccatori indurato mina offeruntur, quando nec ad flagella convertitur. Homini indurato congruit illud *Hieremias 5. Percussi, eos & non doluerunt*; Factus enim inter flagella insensibilis, durat frontem ad culparum, quando deberet emolliri ad poenam; quod si humanae fragilitatis est errare, solius obdurati cordis est perseverare in errore, & id cupidissime appetere, quod

saltem

saltem ratione poenæ infictæ debuisset contemnere. Princeps illorum omnium, qui obdurato sunt corde Pharao, factus est in afflictione deterior, hunc sequuntur quicunque flagellis durantur.

*Ingratum ad beneficia.* Apud eos, qui indurati sunt corde, nihil citius senescit beneficio. In ingratitudine autem, nihil mali non ineſt. Porrò constare homini ratio pietatis non potest, qui divinis se ingratum exhibuerit beneficiis, sed meminerit, quod quanto majora sunt beneficia hominibus constituta, eò graviora erunt judicia peccantibus.

*Ad consilia infidum.* Consilia recta nemo commotus capit: qui sapiens est, audit consilia; qui bonum spernit consilium, infaustum expectet exitum, & severum iudicium. Omnis providens consilium querit. Hæc est iustissima poena obdurati peccatoris, ut consilia recta, quæ cum posset percipere noluit, amittat posse percipere cum velit: ad consilia infidus, pertinax est. Pertinacia non sinit hominem corrigere.

*Ad iudicia surdum.* Qui iudicia non metuit durius condemnabitur, revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra consurget adversus eum, qui ad instar aspidis surda, ad saluberrima monita obturavit aures suas, & noluit intelligere, ut male ageret.

*Inverecundum ad turpia.* Bibit tanquam aquam iniqutatem. Frontem cordis impudentiam, atterit culpa frequens, atque quod crebrius admittitur, eò de illa committentis animus minus verecundatur. Verecundia est color virtutis. Verecundiam habere nequit cor induratum, quoniam est à virtute alienum. Sæpè franguntur pudore, qui nulla ratione vincuntur.

*Impavidum ad pericula.* In illius exitio, qui temerarius fuit, quisque imaginem periculi sui consideret; qui prudenti consilio cedit, periculum vitat. In periculum non necessarium se sponte conjicere, dementia est. Ni-  
mum præceps est, qui transire contendit, ubi conspexerit

alium cæcidisse , & vehementer infrenis est , cui non in-  
cutitur timor alio pereunte . Hujusmodi est cor induratum,  
quod ad pericula impavidum , ibi tandem præcipitum pa-  
titur , ubi periculum devitare recusat .

*Inhumanum ad humana* : est humanæ naturæ maximè  
inimica crudelitas , sed aliis parcere non potest , qui nec  
sibi parcit : hujusmodi est homo , qui corde obdurato vi-  
vens , infastum sibi exitum parat .

*Temerarium ad Divina* . Temeritate sua capiuntur  
prævaricatores . Temeritas homines ad perditionem addu-  
cit : temerarius ad divina , ad omnia peccata currit in-  
frenis .

*Præteritorum obliviscens , præsentia negligens , futura  
non providens* . Qui duritiam cordis declinare desiderat ,  
præteritorum meminerit , nè vivat ingratus , præsentia  
non negligat , nè redarguatur otiosus ; futura provideat ,  
ut remuneretur fidelis . Præteritorum oblisisci , præsentia  
negligere , futura non providere , est more pecudum vi-  
vere : cor obduratum omni pecude deterius est :

### S E C T I O V I G E S I M A

*Ipsum est , cui præteritorum , præter solas injurias nihil  
omnino non præterit , præsentium nihil non perit ,  
futurorum nulla , nisi forte ad ulciscendum ,  
perspectio est .*

**S**Ervis , & infirmi animi argumentum ultio semper fuit ,  
Principes potissimum dedecet cor induratum , cuius  
proprium , est præteritorum præter solas injurias ad ultio-  
nem , nihil omnino non præterire . Quid indecentius in  
Principe , quam prosequi injurias ? Regium est injurias  
beneficiis vincere , servile autem mutui odii pertinacia  
pensare .

Experientia compertum est , saepius pro bono regimi-  
ne , satius fuisse Principes injurias dissimulare , quam ulcisci .

Se

*Senec. lib. de ira c. 25. Contumeliarum patientia, ingens instrumentum ad tutelam Regni,*

De injuriarum ultione sic Mœcenas Augustum est allocutus, & in Augusto omnes Principes. *Iniquum est ea velle agrè ferre, quæ si vera sunt, præstat non admisissæ, si falsa, dissimulare.* Magnus ille Principum exemplar Theodosius, ex familiaribus cuidam dicenti, neminem illorum ab eo morte multatum esse, qui injurii ei fuissent, respondit: *Utinam etiam eos in vitam revocare possem, qui jam mortui sunt.*

Sed si aliquando prò debito, Majestati Regiæ servando decore, armari debent Principes ad ultionem injuriarum, certum est, quod in illatis contumeliis, non debent plectere injuriam, sed malitiam, & debet ratio non passio decernere poenam; ubi enim passio, non ratio prævalet in ultione injuriarum, sæpè crudelitas erit, & justitia putabitur. Quis verò duritiam cordis avertire non satagat, cuius proprium est præteritorum præter solas injurias nihil omnino non præterire. In sapientem non cadit injuria. Optima injuriarum vindicta est, probis moribus mendacem facere injuriosum. Sicut nihil est deformius quam respondere furiosis, ità nihil utilius quam tacere cum provocantibus. Cor durum præsentium nihil non perit. Decet præcipue Principem considerare præsentia, & querere quæ præsentibus temporibus congruant, debent siquidem statuta Principum, prò bono regimine conformari temporum indigentiis, non enim semper expedit, quod aliquandò expedit. Non debet imperare qui nescit agere, quæ tempus expostulat: quomodo autem ad hæc prospiciat Princeps, apud quem præsentium nihil non perit, vel futurorum nulla est prospectio, nisi forte ad ulciscendum. Neque enim vere regnat, qui iracundie vindictam flagitanti, nescit frenum imponere.

## SECTIO VIGESIMA PRIMA

*Et ut brevi complectar; ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.*

**Q**ui timet Dominum excipiet doctrinam ejus, quam utique non excipit cor induratum; qui mentis est duræ corruet in malum: solus est Dei timor, qui peccantem corrigit, fugat crimina, innocentiam servat. Divinas leges timere maxima est securitas Principi, qui cumque timor objiciatur. Princeps ut feliciter principetur, non modo Deum timere debet, sed etiam homines revereri, quos virtus probata commendat. Optimus modus captivandi honorem, est honorare. Honor qui tribuitur dignis factis emerito, debitum est, non obsequium gratuitum. Ad digniora facta excitantur subditi, quorum virtutes Superior honorat. Qui Deum non timet, homines non reveretur, Deo & hominibus se facit exosum.

## SECTIO VIGESIMA SECUNDA

*En quò trahere te habent istæ occupationes maledictæ, si tamen pergis, ut cœpisti, ita dare Te totum illis, nil tui Tibi relinquens.*

**O**ccupationem hanc dedit Deus hominibus, qui tradidit mundum disputationi eorum, hominibus inquam, non autem Apostolicis viris, quos ab hominibus segregavit ad Evangelicum opus, ad quod eosdem assumpsit. Sicut autem *S. Thom. 2. 2. q. 47. art. 1. ad 3.* Finis est potissimum in unoquoque, ita defectus, qui est circa finem est pessimus. Potissimum finis Apostolici munieris, non est litigantes componere, sed Ecclesiam ædificare, & animas Deo lucrari. Siquidem de Apostolicis viris legitur. Hæc est generatio quærentium Dominum. Non autem legitur. Hæc est generatio quærentium lites, componentium dissidia.

dia . Quicumque est Apostolico muneri addictus , & ad hunc scopum querendi Dominum , acquirendi Deo animas non colimat , deficit circa finem Apostolici muneris . Fortè miraberis lector , Sanctum Bernardum , maledictas occupationes Eugenii characterizantem ; sed quis sanæ mentis sentiat Eugenium , sub Sancti Bernardi magisterio educatum , & edoctum , malis occupationibus vacare potuisse ? Sciendum itaque , quod plura quæ per se bona sunt , ex circumstantiis inducunt malitiam ; hinc sit , ut quod aliquando expedit , non semper expediat ; sicut quod unicui competit , non semper alteri convenit . Vacabat ferè totus Eugenius , statim ac fuit ad Pontificatum assumptus , conponendis litibus , credere par est , bono zelo stimulatus , sed ità sedulò huic exercitio vacabat à mane ad vesperram , ut nihil sui sibi relinquens , quæ gravioris erant momenti in Apostolico munere , exequi minimè posset : bona exercitatio dissidentes componere , sed qui ex munere sibi injuncto , tenetur etiam aliis ministrare , & ex officio præcipue debet animarum lucra requirere , si animas negligat , ut lites componat , jam exercitatio per se bona , induit malitiam , eò quod accommoda non sit dispensatio ministerii ; deficit enim *potissimum circa finem* , qui *defectus est pessimus* . Hac de causa , vocat Sanctus Bernardus pessimas , idest maledictas occupationes , cæterum per se bonas , si discretè exercitas ; si enim Præsul totus sit intentus componendis litigantibus , consequens est ut se , & populum suæ sollicitudini commissum , quodammodo teneatur negligere . Qui constituitur à Domino super oves pascuae suæ , pari sollicitudine debet omnium ovium zelari salutem , neque debet esse apud ipsum personarum acceptio , quæ non est apud Deum . Non placere pluribus , sed prodesse omnibus studendum . Huc debent collimare cujuscunque Principis sensus , neque tamen ità totum se dare debet subditorum causis promovendis , ut nihil sui sibi relinquat , ità ut anima sua detrimentum patiatur . Nimiæ occupationes , quæcunque sint , trahunt ad cor durum ; Si quis

quis pergit ità se totum dare illis, ut nil sui sibi relinquit. Occupationes autem, in quibus cor induratur, & anima detrimentum patitur, meritò à Sancto Bernardo maledictæ nuncupantur.

## C A P U T T E R T I U M

### S Y N O P S I S .

*Temporis rationem habendam, & litium audientia nimis non intendendum demonstrat. Indignum quippè Proceribus Ecclesiæ, continuò causis Litigantium decidendis insisterre. Ideò strepitus Litium, & Causarum, Pontifici vitandos; malamque patientiam esse docet, hujusmodi lites nimis sustinere frequentes. Qualiter vexatio det intellectum, dummodo nimia non fuerit. Præcipua Prælatorum occupatio, non est posita in judiciis, componendisque controversiis, ac sedandis litigantium animis, sed potius in rebus Ecclesiæ curandis, pascendisque animabus: Quæ servitus digna, quæ indigna servo servorum Dei. Beati Pauli servitus qualis: an huic respondeat servitus Pontificum. Pontifici, & omnibus Prælatis, potius curandæ leges Dei, quam Justiniani, qui tamen non prohibentur etiam causis componendis, cum urget necessitas insisterere.*

### S E C T I O P R I M A

*Perdis tempus, & si licet nunc alterum me tibi exhibere  
Jebtro, tu quoque in his stulto labore consumeris, quæ non sunt nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ, nam fructus eorum, quid nisi aranearum telæ.*

**H**oc communi adagio, scilicet ordiri aranearum telas, & similibus, qualia sunt, fodere in aqua: verberare acrem, exprimi solet vanus eorum labor, qui in aliquo ope-

opere assumpto perdunt tempus. Itaque Eugenium in assumpto labore audiendi de mane ad vesperam lites, perdere tempus, admonet Sanctus Bernardus. Cui monito consonat aliud, quod habet idem Sanctus Doctor. *Ad laborem cum veneris sic temperabis opus agendum, ut sollicitudo operis ab iis, quæ Dei sunt, non avertat:* Ad rem valde considerandum, quod scribit Sanctus Leo Papa 19. Mor. *Multi terreno judici toto die afflere fortis, in oratione, verò coram Domino, vel unius horæ momento laffantur.*

Qualem quæsò fructum à suis laboribus sperant, qui nihil animæ suæ vivunt, sed sæculi vexationibus semper implicati fatigantur; Perdunt utique tempus in laboribus, qui non sunt nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ. *Nàm fructus eorum, quid nisi aranearum telæ?* Stultè Reges Ægyptiorum operam populi, ac pecunias in substruendis pyramidibus consumebant, nihil præferentibus, præter stultam, & otiosam ostentationem; cum idem in rebus utilioribus fieri potuerit. Ità quidam laborant in difficillimis, cæterum infrugiferis; & hoc ipsum præclarum existimant, quod in spectabili labore versantur. Inter hos computandi Ecclesiastici illi, qui muneri suo satisfecisse arbitrantur, quandocunque ad consanguineorum bona promovenda, & amplianda patrimonia, licet plurium anxietatum, imò & propriè salutis dispendio pervenerint: quibus in laboribus stultè consumuntur, nàm si benè perpenderent, *fructus eorum, quid nisi aranearum telæ?* nunquam enim fixas radices firmavit arbor in agro hujus sæculi, quam aqua bonorum Ecclesiasticorum irrigavit. Porrò cum in præfatis verbis Sanctus Bernardus Eugenio, se alterum Jethro exhibeat, consonum erit ad rem, ipsum Jethro Moysen alloquenter audire. *Exod. 18.* Altera autem die sedit Moyses, ut judicaret populum, à mane, usque ad vesperam, quod cum vidisset cognatus ejus, omnia scilicet, quæ agebat in populo, ait. *Quid est hoc quod facis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstatetur de mane usque ad vesperam? cui respondit Moyses.*

*Venit*

Venit ad me populus, quærens sententiam Dei; cumque acciderit eis aliqua discepatio, veniunt ad me, ut judicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & legis ejus. At ille: non bonam, inquit, rem facis. Stulto labore consumēris, & tu, & populus iste, qui tecum est: ultra vires tuas est negotium; solus illud non poteris sustinere; sed audi verba mea, atque consilia, & erit Deus tecum. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant. Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis Tribunos & Centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore; quidquid autem majus fuerit, referant ad te, ipsi minora tantummodo judicent; leviusque sit tibi, partito in alios onere. Solus Jethro, qui erat in terra sua probatae virtutis, canitiae venerabilis, Deoque afflante, accinetus est consilium suggerere Moysi, qui Princeps à Dœo constitutus erat in populo. Talis esse debet, qui consilium impendit, ut se ipsum formam aliis, ad exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in gravitate, ut sit ejus sermo salubris, atque irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta, sententia decora: sic cum Principibus affari debent Consiliarii, reverenter exponentes, non quasi extorquentes, quod sentiunt. Consiliarius cum Principe loqui debet ad Regni providentiam, non ad ingenii ostentationem, oderit avaritiam, diligat veritatem, timeat Deum; Vanum erit omne consilium, si omnibus præfatis destituatur præsidiis. Talem se exhibuit Jethro Moysi, & Bernardus Eugenio, qui Eugenium, quasi Filium in Clavalle docuerat, educaverat: nec tamen Bernardus se, alterum Jethro exhibuisset Summo Pontifici, nisi rogatus; Rogatus autem, ait, (si licet) vix enim est, cui liceat consilium illi impendere, qui præco est Spiritus Sancti. Pontifex vero sanioribus illorum consiliis inclinare debet

aurem

aurem suam , quos noverit ex puro zelo , & in simplicitate cordis , sensus suos exprimere . Tacit. lib. 4. hist. Nullum majus boni imperii instrumentum , quam bonus Consiliarius : hoc præsidio indigent omnes Principes ; non enim est Princeps adeò sapiens , qui errare non possit . Plures autem Consiliarios habere Principem expedit , & si enim aliquandò sapientiores errent in exhibendis consiliis , difficile tamen est à multitudine sapientum errorem approbari . Illius consilium semper felige , qui non tua , sed te diligit ; quisquis ille sit , semper tibi optimus Consiliarius erit . Sæpè Deus plura abscondit à prudentibus , ut revelet ea parvulis ; etiam si sis perfectus , opus est tibi consiliario , & aliquo qui te arguat , neque enim Moysi facile par frueris , qui erat mitissimus , Dei Amicus , & spiritualium rerum intelligentiæ insignis . Multa enim sunt , quæ magni , & admirabiles viri ignorant , quæ tamen parvi , abjectique scire solent . Semper commendabilior fuit Princeps , cui cauta potius consilia , quam prospera ex casu placuerunt . In arduis negotiis sibi soli fidere nemini expedit . Propterea scriptum est : *Sine consilio nihil facias , & post factum non paenitebit* . Sive Senem , sive Sanorem à Juniori , aut minus sapiente satius est consilium poscere , quam sine consilio operari . Sicut nulla ætas sera est ad discendum , sic nulla ætas debet consilium effugere .

Discant in hac causa à doctissimo Episcopo , quæ ratione Praefules se gerere debeant . S. Aug. ep. 75. ad Aux. En adsum senex à Juvene Episcopo , & Episcopus tot annorum à Collega , nec dum anniculo paratus sum discere ; ille siquidem optimè noverat , quod : *in Prov. bonis consiliis anima dulcoratur* . Perspecta erat , & Eugenio hæc veritas , qui proinde consilium à Sancto Bernardo poposcerat , cui Sanctus Bernardus obtemperatus ait , *si licet* , illius Majestatis vererabundus , quem apex Pontificiæ dignitatis attollit . Quis enim , nisi cum timore , & tremore , suggerere consilia Dei Vicario audeat , ad quem universi , in arduis negotiis debent pro consilio confluere .

## SECTIO SECUNDA

*Quæsò te, quale est illud de mane usque ad vesperam litigare, aut litigantes audire, & utinam sufficeret diei malitia sua, non sunt liberae noctes. Vix relinquitur necessitatì naturæ, quod corpusculi pausationi sufficiat, & rursum ad jurgia surgitur. Dies diei eructat litem, & nox nocti indicat malitiam, usque adeò non est respirare in bonis, non est alteram capessere requiem, non vel rarae interseti otia.*

**B**onum est Principes in gravioribus causis litigantes componere, ad evitanda majora dispendia, & pacificandas propria auctoritate inquietas litigantium mentes, vel etiam ad refringendas induratas cervices. Cæterum, neque tam facile debent litigantibus aditum reserare; ubi enim Princeps nimis facilem præbeat omnibus litigantibus accessum, magis jurgia crescunt, dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam. Potissimum autem Præsules expedit strepitus litium fugere: sensus fuit eloquentiæ patris. Cicero. *Nihil bono viro, ac quieto magis convenit, quam abesse à civilibus controversiis.* Facilis fit ad Præsulem aditus, ubi tamen ardua negotia id poscunt; tam Præsulem, quam Principem inveniat benignum Receptorem, qui injustè obtinuit à Ministro repulsam. Faciat Superior justitiam, ubi apud judices compererit corruptam æquitatem. Cæterum videant Ecclesiastici Præsules curarum Secularium laboribus nimis gravati, an ipsis congruat, quod in nonnullos ex iisdem retorquet Sanctus Gregorius, cui minus rectus, minus conveniens viro Ecclesiastico, hujusmodi laborum finis satis erat perspectus: *bomil. decima in Ezech.* Nonnulli ut in hoc mundo aliquid esse videantur, terrenis laboribus infundant, insistunt causis, permiscentur juriis, & quamvis se corpore deficere inter labores sentiant, amore tamen terrenarum rerum devicti, delectabiliter fatigantur,

*gantur, quibus per Prophetam dicitur. Ephraim vitula docta  
diligere trituram.*

Animadvertisente interim Sancto Bernardo Eugenium, ex continuo in decidendis litibus labore valde gravatum, & afflictum, ejusque sanitatem non modicum minoratam, tempore maximè, quò eundem vivere expediebat Christianæ Reipublicæ bono, propter imminentia schismata; hac etiam ex causa, eundem hortatus est interseri otia, interrumpere curas: Tenetur enim cum majori solicitudine, propriæ providere saluti, quisquis prævidet ex suæ vitæ discriminè, proximo suo detimento imminere.

### S E C T I O T E R T I A

*Non ambigo te quoque ista deplorare, at frustra  
si non, & studueris emendare.*

**D**eplorare, & non emendare superfluum est. Veræ lacrymæ ad compunctionem illæ sunt, quæ excitant ad emendationem. *Senec. epist. 6. Magna pars profectus est velle proficere: argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt.* Multi errant, & errore comperto non emendare, sed excusare contendunt. Jam propè dicendus est emendatus, qui in odium eorum, in quibus erraverat, convertitur.

### S E C T I O Q U A R T A

*Interim tamen sic semper facias hortor, nec te unquam  
ad ista duraveris quolibet usu, aut affiduitate.*

**D**ifficile est se revocare à malo, in quo quis callum obduxit, & fontem duravit; nil gravius quam errantem ita deseriri, ut se revocare non possit.

## SECTIO QUINTA

*Percusſi eos, & non doluerunt: ait Prophetæ.*

**H**ipocratis afforismus est: *cum corpus ægrotum, vel affictum, suas plagas, vel dolores non sentit, certum est signum ægrotare.* Laborant amentia, stupore, & delirio, qui ad Dei flagella non convertuntur, qui verò usū, & assiduitate durantur, etiam Deo percutiente non dolent; juxta quod legitur: *Dissipati sunt, nec compuncti; verbaverunt me, & non dolui; traxerunt me, & non sensi.* Plaga indurati cordis illa est, de qua ait Prophetæ: *Non est curata medicamine, neque fota oleo.* Triplici medicamine solet Deus curare vulnera nostra: primum est eruditio per Scripturas, secundum correctio per flagella, tertium consolatio per beneficia; primum quasi fascia ligat vulnus. Secundum quasi medicina sensibilis exhibetur; tertium quasi oleum fovens applicatur. Veh animæ, cujus plaga nec est circumligata eruditione, nec curata medicamine, nec fota oleo; jam callum obduxit. Desperata salus.

## SECTIO SEXTA

*Nil tibi, & illis. Justi potius tibi aptare curato, & affectionem, & vocem, qui ait: Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam? nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est.*

**C**um verum sit quod dixit Cicero *ad Attic.* Nil bono viro, & quieto magis convenire, quam à civilibus abesse controversiis; bonum autem virum esse, & quietum cum præcipue Præfulem deceat; consequens est non bene convenire Præfulem cum litigantibus. Sapienter itaque Sanctus Bernardus Eugenium affatus est: *Nil tibi, & illis.*

Tunc

Tunc solum debent Prælati lites discutere , cum eorumdem laboris stipendum , noverint esse lucra animarum , & Ecclesiæ incrementum . Cæterum nil Præfuli , cum litigantibus ; labore vacuus non erit Episcopus , si ministerium suum implens circa ea , quæ potissimum sui muneris sunt , nempe circa animarum salutem , se exerceat . Laudabile utique est si Episcopus studeat Sæcularium lites compondere , ut omnium fidelium gressus dirigantur in viam pacis . Magis autem expedit Episcopo spiritualia promovere . Non potest Episcopus utrumque pondus sustinere . Quæ est enim fortitudo ejus . Homo est , duplicato pondere facile succumbet . Si spiritualia simul , & sæcularia amplectantur negotia , difficile in utrisque optatum exitum obtinetur . Ubi totus litibus componendis incumbat , quæ majoris sunt ponderis , & præcipua sunt in munere Episcopali haudquaquam perficere poterit , sicque in eorum numero computabitur , de quibus loquitur Sanctus Gregorius in moral. 28. *Prælati nostri Calicem linquunt , & Camelum diglutiunt , dum majora prætereunt , minora discutiunt.*

## S E C T I O S E P T I M A

*Magna virtus Patientiæ .*

**L**AUDABILIS in omnibus , potissimum verò in Principe virtus patientiæ , quoniam , ait sapiens . Prov. 14. *Qui patiens est , multa gubernatur sapientia , qui autem impatiens est , exaltat stultitiam suam .* Longanimis fortis præstat , & qui animo suo imperat , ei qui expugnat Urbes . Patientia sapientiæ comes est . S. Aug. de sap. cap. 2. Tantò quisque minus ostenditur doctus , quantò minus in adversis convincitur sapiens . Multi sunt patientes quia mala retrahere nequeunt persequentibus ; at vera patientia non in ostentatione firmatur , sed in corde solidatur . S. Gregor. super Ezech. *Patientia vera est , quæ , & ipsum amat , quem portat . Nam tolerasse , & odisse non est virtus man-*

*sue-*

*suetudinis, sed velamentum furoris;* Sunt etiam multi patientes, & mites, sed quandiu nihil dicitur, vel agitur nisi pro eorum arbitrio, patebit autem, quam longe sint à vera mansuetudine, si vel levis oriatur occasio; Qui veram habet patientiam, adversus omne malum firmatur. Virtute patientiae vera magnanimitas comprobatur, & sæpè compertum est superatum esse patientiæ, quod auro, aut armis expugnari non potuit. Itaque sapienter dictum magna virtus patientiæ.

### S E C T I O   O C T A V A

*Sed non hanc tibi ad ista optaverim. Interdum  
impatientem esse probabilius.*

**M**agna utique virtus patientiæ quandocunque per ipsam patientis animus contra adversa firmatur: & ad proficiendum in virtutibus excitatur; non autem dici debet patientia, sed hebetudo illa, per quam patientis animus in vitiorum servitutem redigitur, nec ad pessima servitutis jugum excutiendum commovetur. Satius est impatientem esse, quandocunque ex supervacanea patientia abusibus occasionem referari experimur. Nemini hanc patientiam optaverim, ut fiat servus passionum, ut dissimulet vitia, sed impatientem esse probabilius. Vera patientia est pati, vel agere contra quod libeat, sed non præter quod liceat. *S. Aug. de patientia: in propriis injuriis patientem esse laudabile est, injurias autem Dei est impium, dissimulare.* Dissimulare quæ sunt contra Ecclesiæ bonum, morum disciplinam, Religionis incrementum, non est patientia, sed vecordia. Expedit aliquando his qui præsunt impatientes esse, nè ut sæpè contingit, per nimiam patientiam dent occasionem iniquo, ut iniquior evadat.

## S E C T I O N O N A

*Tu ne approbes illorum patientiam, quibus Paulus dicebat: libenter sufferis insipientes, cum sitis ipse sapientes? Nisi fallor, ironia erat, & non laus: sed suggillatio quorundam mansuetudinis, qui quasi datis manibus Pseudo-apostolis (a quibus & seducti erant) ad queque ipsorum peregrina, & prava dogmata trahi se patientissime ferrent.*

**C**um interdum impatientiam, plusquam patientiam, expedire, juxta illud: *irascimini, & nolite peccare*, supra dixerit Sanctus Bernardus, hoc assertum exemplo Scripturæ confirmat, quo reprobatur à Divo Paulo illorum patientia, qui patienter à pravis dogmatibus seduci permittentes, impatientiae zelum non exerebant; Verus zelus injuriam Christi pati nescit; aut potest erubescere Evangelium, ubi contra Evangelicam veritatem audit os loquentium iniqua; verus zelus debet irasci, sed sine peccato, contra eos qui, vel pravorum dogmatum per insanam doctrinam, vel turpium morum, quod exhibent per malum exemplum, audent Deo facere contumeliam. Contra hujusmodi improbos (ait Propheta ad omnes Prælatos) *irascimini, & nolite peccare*: adversus sic perditæ vitæ viros interdum impatientem esse probabilius, ait Sanctus Bernardus. Quis enim approbet illorum patientiam, qui injurias Christo factas patiuntur, & malunt Christi persecutoribus adhærere, quam pro Christi honore promovendo laborare? Simul & semel seducti, & seductores facti, sibi & aliis patientes sunt nocui; ubi impatientes potuissent esse profici. Prælati patienter sustinentes insipientiam sæculi, cui debent resistere fortes in fide, authimant indisciplinatos mores, quos vel laboris tædio, vel mundani respectus stimulo devicti, corrigere negligunt. Quis approbet hanc stultam patientiam? Satiū utique in his casibus Prælatis impatientes esse, & libertate Apostolica,

con-

contra illos invehi, qui ex incongruâ patientiâ audaciores facti, pessimæ servitutis jugum audent imponere.

## SECTIO DECIMA

*Unde, Quid subdens: sustinetis enim, inquit, si quis  
in servitutem vos redigat. Non bona patientia,  
cum possis esse liber, servum te  
permittere fieri.*

**S**Apientia mundi, quæ stultitia est apud Deum, ad hoc collimat, ut in servitutem redigat Ecclesiasticos viros. Jam instat tempus, de quo vaticinatus est David *Psal. 105. Effusa est contemptio super Principes*, scilicet, super Ecclesiæ Præsules, quos constituit Dominus Principes Domus suæ. Sed quare effusa est contemptio super Principes, nisi quia plures Episcopi, cum possunt esse liberi, permittunt se servos fieri, ne amittant sæculi gratiam. Non bona patientia cum possint esse liberi servos fieri; nec juvat ad excusandas excusationes in peccatis insistere, quod præsentia tempora hoc exigunt ab ecclesiasticis, ut scilicet quodammodo famulentur Principibus, siveque jam pluribus ab hinc annis fecisse Prædecessores. Indigna utique Ecclesiastico viro hæc excusatio, qui non ad id quod fit, vel factum fuit, sed ad id quod faciendum est attendere tenetur. Sive adhuc sint, sive fuerint alii adulatores, proprii commodi, fugacis lucri, transitorii honoris sequaces; hoc utique studium non decet Ecclesiasticos, qui sunt genus electum, & ad quorum unumquemque dicit Altissimus. *Exod. 39. 2. Non sequeris turbam ad faciendum malum.* Esto sustinuerint alii servos se fieri, cum liberi esse potuerint. Multitudo peccantium nullatenus alleviat onus peccati. Quid proderit multitudo, ubi singuli de singulis judicabimur.

## S E C T I O U N D E C I M A

*Nolo dissimiles servitutem in quam certè in dies,  
dum nescis, redigeris.*

**I**N servitutem redigitur quisquis suis non dominatur passionibus. Tollerabilius est hominem hominis mancipium esse, quam passionum suarum servum fieri. Nunquam verè liber est, quis suis nescit dominari affectibus. Quid interest an homo hominis, an suarum passionum subditus dicatur, in neutro libertas, in utroque servitus, sed illa tollerabilior, hæc crudelior: illa non indecora, quia à Deo ordinata, hæc magis exosa, quia à Deo prohibita. Cuicunque servias semper es subditus, nisi illi soli servias, cui servire regnare est. In servitutem rediguntur dum nesciunt, maximè nunc temporis Ecclesiastici viri, quià nimia familiaritate cum laicis commixti, inter laicos, vix à laicis discreti, sive licentia morum, sive luxu habituum; quamobrem contemptibiles facti in servitutem, dum nesciunt, rediguntur. Ad hæc scandala debent solicite in suis Dioecesibus præcavere Episcopi, ne dum propter hæc, & similia Clero debitus non defertur honor à laicis, etiam ipsi Præsules, minus quam par sit honorentur, & sic paulatim in deplorabilem servitutem redigantur. Primitiva Ecclesia de suæ Reipublicæ spirituali Pomerio propagando, eoque contrà mundanam invidiam tuendo sollicita, ingenti ac propè incredibili libertatis studio triumphabat. Omnium Ecclesiasticorum ordinum confilia, cogitationes, opera ad animarum salutem, fidei propagationem collimabant; quia nondum solutiore molitie Apostolica disciplina infecta, sordidis questibus non inhibebat; sed unaniimi ardore summi, & infimi inter se congruentes, quò magis à sæculi aëtibus segreges facti vivebant, eò magis liberi majorem sibi venerationem conciliabant. Postea morum corruptela, ex ambitionis perpetuo studio (quod cum Ecclesiastica libertate pugnare satis ma-

To. I.

H

nife-

nifestum est omnibus ) & sanctarum dissoluto legum orta est ; plures enim , ut ambitionem foveant , effrenam sæpe libertatem permittunt , quæ Ecclesiam in deplorabilem redigit servitutem . Corrigant Ecclesiastici serviles mores , & statim miseræ servitutis jugum excutient .

### S E C T I O D U O D E C I M A

*Hebetati cordis est inditium , propriam non sentire  
continuam vexationem .*

**V**ir Ecclesiasticus à sæculi astibus , nec propè , nec procul vivat ; facile hac adhibita cautela , vexationem poterit præcavere , cui succumbit quisquis nimis familiare cum sæculo commercium paciscitur . Quod si vexationem , qui gravatur vir Ecclesiasticus , nimia cum laicis familiaritate associatus , amplius non sentit , utique hebetati est cordis .

### S E C T I O D E C I M A T E R T I A

*Vexatio dat intellectum auditui , ait quidam . Verum est ,  
sed si nimia non fuerit , nam si nimia sit , non plane  
intellectum dat , sed contemptum .*

**P**rudentis consilii parens vexatio semper fuit ; vegetat siquidem inter vexationes ratio , quæ inter otia , & commoda hebetabat . Sed quià scitè dictum : ne quid nimis . Non plus , minusve laboris , quam sat fit suscipendum . Arist. lib. 6. ethic. Modus in labore tenendus est , quem recta ratio prescribit . Ubi autem nimia fuerit vexatio , intellectum non dat , sed contemptum . Animum nimis fatigatum infatuat . Plutarc. in mor. Nascitur ex assiduitate laborum animi hebetatio quedam , & languor . Animorum impetus , assiduus labor frangit . Plantæ mediocri aquâ aluntur , immodicâ suffocantur ; sic animus moderatos inter labo-

labores erigitur, qui ab immoderatis obruitur. Nemo vexationem continuam sustinet, nam si non aliudè vexatio extunditur, necesse est ut cedat vel sibi; enim verò citò aut de remedio consolationem recipiet, aut de assiduitate stuporem. Videre est autem plures Ecclesiasticos, qui multis vexantur laboribus, prò felici negotiorum sæcularium exitù, quos prò bono Ecclesiae promovendo vix sustinerent? undè hoc, non nisi quìa: *S. Leo Papa de iunio: libentius suscipitur labor prò desiderio voluntatis, quam prò amore virtutis.* Doleo autem super eos, qui laborem, & vexationem sustinent, quam tamen Deus non considerat, quales ut plurimum sunt, *quorum vexatio non dat intellectum, sed solum afferit contemptum.*

## S E C T I O D E C I M A Q U A R T A

*Denique impius, cum in profundum venerit, contemnit.*

**I**MPIUS ille est, qui non semel, & iterum ex ignorantia, vel infirmitate in peccatum labitur, sed qui assiduè ex malitia peccat, ità ut jam callum peccato obduxerit. Profectò, qui sic se habet, peccato addit contemptum, quatenus scilicet admonitiones salutares non percipit. In profundum ergo peccatorum dilabitur, quisquis rectis admonitionibus non inclinat aurem suam. Per profundum malorum intelligunt Sancti Patres consuetudinem peccandi. *S. Chrysostomus. Consuetudo enim est, quasi ledus, in quo peccator ita sopore gravatur, ut non nisi difficulter expurgiscere possit.* Hinc constat quantà sollicitudine, quamcunque malam consuetudinem præcavère debeamus, quæ quasi in vinculis consuetum detinet. Hic opportunè advertendum, inter malas consuetudines, sive abusus, nullum esse, qui magis inveterascat, & difficilius extirpetur, quam ille, qui sub specie boni introducitur. Sub hac ovinà pelle, fermè quotquot vitia Ecclesiam infestant, sunt introducta: & si hinc occasione arrepta, per eadem

incidenter licet discurrere. Satis constat, quod in tantum luxus viget aliquibus in Ecclesiasticis, quia ad Ecclesiæ decorem conservandum, visum fuit necessarium esse, cum aliquo decore Ecclesiasticos viros incedere; sed an intrâ limites conservandi decoris Ecclesiasticæ dignitatis nunc contineantur, ipsi viderint, & judicent, qui in pompa & fastu, vix à Magnatibus sæculi discernuntur, ex quo factum est, ut sub specie conservandi decorem Ecclesiasticæ dignitatis, vigeat inter aliquos Ecclesiasticos consuetudo luxuriandi in habitibus, in mensis, in servis, in curribus, in equis, in laribus, quæ consuetudo *cum jam penè in profundum malorum apud aliquos venerit, contemnit* salutaria monita, quæ in Canonicis diplomatis continentur; *contemnit*, quatenus deditigantur in charitatis operibus se exercere, quasi opera charitatis jam derogatoria facta sint Ecclesiasticæ dignitati, immemores illius verbi Dominici, qui *vestrum Major est, siat sicut parvulus, & qui Dominus, sicut Minister*. *Contemnit* quia Sanctorum Prædecessorum inhærere vestigiis, & eorum Ecclesiasticis moribus se conformare, jam ferè pusillanimitas reputatur. *Contemnit*, quia in Ecclesiasticæ discipline detrimentum, jam ferè majorem vim habent hisce temporibus moderni abusus, quam sacri Canones.

Negari utique non potest, quod corrupto in hoc sæculo, si subditi in Prælatis, decorem quandam dignitati consentaneum non conspiciant, difficile moventur ad præstandum debitum illis obsequium, quia ergo in hac parte debent quodammodo Præfules, temporis corruptelæ se conformare, commendabile est, si convenienti incedant decore, imò injuriam facerent dignitati, si à cæteris suæ Diocesis Clericis in habitu, in comitatu non discriminarentur, dixi autem convenienti, non excedenti; satius enim est in hac parte Præfules peccare delinquendo, quām excedendo. Necessè utique est Præfules honorificare ministerium suum, non autem debent honorificare luxu, sed moribus ornatis, studiis spiritualibus, bonis operibus; honorificabunt

bunt etiam , si in eleemosinis erogandis copiosi , si in mercenariis solvendis solliciti , si in Ecclesiis ornandis studiosi ; si in Clero componendo assidui , si non diligentes munera , si non sequentes retributionem , in conspectu sæculi apparebunt .

Certum insuper est , quod Ecclesiastici injuriam facerent sanguini , si cum teneantur alere pauperes , consanguineorum necessitates despicerent . Commendabile ergo etiam est in Præsule , & in quoconque viro Ecclesiastico , si subveniat consanguineis , sed quantum opus est ad decentem sustentationem , non ad ostentationem ; non enim est eleemosina , sed profusio , quidquid in superfluos usus erogatur . Fortè hic queret vir Ecclesiasticus , in dignitate constitutus , & consanguineorum indigentiis subvenire coactus , quā ratione valeat , in debito suā dignitati conservando decore , & in erogando parentibus , in conditione pauperum constitutis subsidio , debitos non transgredi limites . Difficile est utique proprio affectui , & affectui sanguinis limites stabilire . Limites imponet propria uniuscujusque conscientia , quae ab omni excessu statim stimulatur . Itaque *ne quid nimis* . Hic modus est , neque opus est in hac materia longiori consideratione ; loquitur enim unicuique conscientia sua .

### S E C T I O D E C I M A Q U I N T A

*Experciscere ergo , & pessimæ servitutis jugum jam , jamque imminens , imò jam non modicè præmens , non tantum cave , sed horre .*

**U**TINAM expergiscerent à somno , qui dormiunt gravati inter illecebras sæculi , & discerent horrere pessimæ servitutis jugum , quo oppressi , quodammodo vitiis deseruire coguntur . Quæ enim deterior servitus inveniri potest , quam vitiis famulantium . *Caveant* hoc servitutis jugum , qui liberi facti sunt libertate , quā Christus nos libe-

liberavit, qui non amplius ancillæ Filii, sed liberæ, nihilominus vanitatibus sœculi ancillari non erubescunt. *Caveant servituis jugum non modò imminens, imò jam non modicè præmens*, qui Ecclesiasticæ militiæ addicti, nihilominus sœculi potius, quām Ecclesiæ bonis promovendis insudantes, eò miserius inter vincula gemunt, quò fortius ligati, se se tamen nec sentiunt esse captivos: quandoquidem nullam aliam mercedem recipiunt ab ingrato sœculo, cui adeò sollicitè deserviunt, quām contemptum: mos enim est sœculi contemnere, & jugo miserrimæ servitutis præmere sibi obsequentes, ejusque bona promoventes. Dicant, si aliam mercedem, quām contemptus obtinuerunt à sœculo Ecclesiastici, qui non nisi ad sœcularium bona amplianda insudantes, tot suæ vitæ insidiatores habuerunt, quot bonorum suorum hæredes instituerunt. Profectò ep. 52. S. Hyeronimus non intelligit *quomodo procuratores, atque dispensatores domorum alienarum esse possint, qui proprias jubentur contemnere facultates.*

### SECTIO DECIMASEXTA

*An ideo non Servus, quia non uni Servis, sed omnibus?*  
*Nulla turpior servitus, graviorve, quam fudæorum,*  
*quam quocunque ierint, post se trahunt,*  
*& ubique Dominos offendunt suos.*

**E**cclesiastici, quo plus negotiis sœcularibus implicantur, eò minus sibi, & Deo vivere convincuntur; in sœculo enim, dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam. Eò minus sunt sui juris, quò magis sœculi promovent jura; tunc solum exutient pessimæ servitutis jugum, quando alieni à sœculo, illi soli servient, cui servire regnare est. *Quocunque ierint, qui sœculo famulanter, post se trahunt servitatem, quia continuis vexationibus agitantur, ubique Dominos offendunt suos, quia captivos eos detinet, vel avaritia, vel ambitio, vel cupiditas,*

ditas, vel invidia, vel alia hujusmodi mala, quorum dominationem fugere nequeunt, quiā intra se Dominos habent, intra se servitium patiuntur intolerabile. Sub hujusmodi malorum onere gravantur, quicunque mundanas vexationes non horrent, nec præcavent, & ab illis se se alienare non student, ut ibi solum fixum animum habeant, ubi verā possint libertate gaudere. Verā autem libertas est soli Deo servire, & mundum cum illecebris suis despicer, ab ejusdem versutiis præcavere, ubi non nisi iurgia, non nisi lites, non nisi contentiones excitantur, internæ pacis, & veræ libertatis detrimento. Vera libertas, & sæculi curæ nunquam convenient.

## S E C T I O D E C I M A S E P T I M A

*Tu quoque dic quæso, ubi unquam sis liber, ubi tutus,  
ubi tuus? ubique strepitus, ubique tumultus,  
ubique jugum tuæ servitutis Te præmit.*

**S**Emper augmentur incommoda Ecclesiasticis illis, qui non nisi sæcularium commodo student, nunquam *tuti*, quiā ut plurimum dissidia componere, idem est ac unum, aut alterum ex dissidentibus sibi inimicum parare: ergò servitutis jugo se submittit, qui non nisi audiendis litibus animum apponit. Erit cui expeditat hoc ferre jugum, sed hæc occupatio continua, non expedit viro Ecclesiastico, qui majoris negotii causas, ex suo munere debet discutere, quales sunt, quæ circa sacrorum Canonum observantiam, circa bonos mores, circa Ecclesiæ decorem, circa animarum salutem versantur. Ad has causas utique animum apponant Præfules. Lites verò civiles, utpotè minoris momenti, aliis decidendas committant. Sic opportunè Jethro consuluit Moysi, qui statim salutari acquievit consilio. Quisquis ad Pontificiam dignitatem assumptus Moysis vicem gerit, ab hoc monito tam saluberrimo, non avertat animum suum.

## SECTIO DECIMA OCTAVA

*Nec mihi opponas nunc Apostoli vocem, quà ait, Cum essem liber ex omnibus, omnium servum me feci; longè est istud à Te.*

**P**Rævenire intendit Sanctus Bernardus, præfatis verbis illorum Ecclesiasticorum excusationem, qui negotiis secularibus plus quàm par sit dediti, se excusare arbitrantur exemplo Apostoli dicentis, *i. ad Cor. 9. Cum essem liber ex omnibus, omnium servum me feci.* Utinam, & èadem servitute cum Apostolo Paulo, quem in hac parte sibi patronum assumunt, deservirent animabus sibi commissis: confuevit humana malitia ad excusandas excusationes in peccatis, etiam saniora Sanctorum facta, in obviam partem extorquere, ut eorum exemplo suos abusus valeat defendere. Quo ad exempla Sanctorum spectat, non semper attendendum quid factum sit, sed quà mente, quà spiritu, quà impulsu. Sæpè cras dedecet, quod hodie convenit, & quod unum agere opportunum est, ab alio factitatum erit incongruum. Cæterum attendant, qui Apostoli exemplo sæculi actibus servire prætendunt, quomodo servum omnium se fecerit Apostolus: talem profectò se exhibuit, sed prædicans Evangelium, imbecilles firmans, tepidos inflammans, peccatores convertens; pusillis animum adjiciens: docens ponere contumaciam, discere obedientiam, apprehendere disciplinam, despicere inferiora, amare cælestia, vitiata germina, & terrenos mores deserre, cælestia sapere, superna quærere. In hac servitute se omnium servum fecit Apostolus; nihil aliud in èa spectans, quàm servire omnium saluti: quapropter meritò dixit: *Cum essem liber ex omnibus, omnium servum me feci.* Hinc opinor Romanos Pontifices, quibus universi Catholicici gregis cura, ac totius Ecclesiæ administratio credita est, non tam honorifico, quàm necessario titulo: *Servos servorum appellari*, ut intelligent hoc unum Pontifici-

tificium munus exigere, ut laboriosam servitutem serviant, omnium imbecillitates adjuvent, egestatem sublevent, lapsos erigant, stantes consolident, peccatores coerceant, & in viam revocent veritatis; nullam denique seduli, diligentisque Pastoris partem omittant, & mercedem suæ virtutis aliam non quærant, quam lucrum animarum, ad imitationem Apostoli dicentis. *Omnium servum me feci, ut plures lucrifacerem.* Utique servum omnium se fecit, qui in spiritu humilitatis omnium necessitatibus se accommodabat, ut hinc etiam discant, qui in Ecclesia præsunt, in spiritu humilitatis, & mansuetudinis sibi cum subditis fore agendum. *S. Aug. ep. 64.* Non enim asperè, non duriter, non modo imperioso vitia tollenda sunt, magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando, sic enim agendum est cum multitudine, & si quid minamur cum dolore fiat, de scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus ipse in nostro sermone timeatur.

## S E C T I O D E C I M A N O N A

*Nunquid hac servitute hominibus inserviebat,  
in acquisitione turpis questus?*

**T**imeo multos esse Ecclesiasticos, qui in ministerio suo studeant lucrifacere plura, non plures. Hac servitute utique non inserviebat Apostolus, qui solum querabat animarum lucrum; utinam non sit invenire in domo Domini Pastores nomine, mercenarios affectu, qui sola spe lucri blandiente, curam gerant de ovibus. Quot sunt qui de Evangelio vivunt, & juxta Evangelium non vivunt? Apostolus cum esset liber ex omnibus, omnium servum se fecit. Videant an imitentur Apostolum, qui Apostolatum querunt præcisè, ut dominantur in Clero. Ille manducabat, ut evangelizaret, isti aut non evangelizantes manducant, aut evangelizant ut manducent. Hi

fælices se credunt, si dilataverint terminos suos, ille in dilatanda charitate gloriabatur. Illi congregant in horrea, & dolia implent, undè onerent mensas, hic colligebat in deserto, & solitudine undè impleret cælos. Illi student accipere decimas, primitias, & oblationes, iste nihil horum habens, multos tamen impinguabat de promptuario fidei. Illorum cupiditatis non est finis, Hic nihil cupiens, non novit, nec cogitare de crastino. Illi à pauperibus exigunt quod dent divitibus, iste solicitabat dientes, prò pauperibus sustentandis. Illi marsupia vacuant subditorum, iste prò peccatis eorum altaria cumulabat votis, & hostiis pacificis. Illi superba Palatia ædificant, iste non habens ubi caput reclinaret, opus fecit Evangelistæ. Illi incedunt cum turba hominum gratis manducantium panem, & non suum, Hic Sanctorum Fratrum septus comitatu, circuibat portans panem Angelorum. Illi oves suas ne agnoscunt quidem, iste curam gessit tanquam Pastor bonus de ovibus.

Quid nunc contendant Apostolorum Successores, de solertissimâ Pauli industria, tam liberâ, quam liberali, servili conversationi suæ patrocinium sumere? Nunquid hæc ille servitute hominibus inserviebat, in acquisitione turpis lucri. *In sac. Can. Can. si quis: Justum utique est eum, qui in Ecclesia ministrat, de suo vivere ministerio,* sicut enim anima sine corpore non potest corporaliter vivere, sic nec spiritualia exerceri sine temporalibus. *Dis. 96. cap. diacon.* *Laborantem agricolam opportet primum de fructibus percipere, & plus minusvè suscipere, juxta laboris, quem sustinet pondus, & ordinis, in quo constitutus est dignitatem;* hoc enim exigit decus discretæ Matris Ecclesiæ, ut sibi specialiter addictos, juxta ministeriam congruo provideat subsidio: *Quod si mendicitas Clericorum est ignominia Episcoporum:* mendicitas Episcoporum ignominia esset Ecclesiæ, quæ ideo non qualemcunque quæstum, sed solummodo turpem quæstum reprobat in Ministris suis. Turpis autem quæstus est inania querere, superflua retinere.

Cer-

Certè si Ministri Ecclesiae non nisi necessaria quererent, multa superflua invenirent. Turpis quæstus est Ecclesiasticos sibi arrogare, tanquam Dominos superabundantes proventus, qui debentur, vel pauperum alimento, vel Ecclesiæ restaurationi. Vineam suam locavit Deus, non donavit, ut intelligent Ecclesiastici, solum ex beneficiis recipere posse stipendium, decenti sustentationi congruum, & reliquos proventus fideliter esse reddendos ei, qui locavit; rem utique alienam possidet, quicunque superflua possidet, res enim superflua sanguis est pauperum. Turpis quæstus est, plus invigilare subditorum evacuandis marsupiis, quam vitiis extirpandis. Utique hac servitute Paulus hominibus non inserviebat. Plures cupiunt esse successores Apostolorum, non imitatores; plures de Ecclesiæ bonis participare concupiscunt, sed Ecclesiastice vivere, non satagunt. Quisquis autem imitari non studet Apostolum, sortitus est quidem ministerii locum, non zelum. occupat sedem, non implet munus. Utinam Ecclesiastici tam vigiles hodiè reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad Cathedram.

## S E C T I O V I G E S I M A

*Nunquid ad eum de toto orbe confluebant Ambitiosi, Avarri, Simoniaci, Sacrilegi, Concubinarii, Incestuosi, & quæque istiusmodi monstra hominum, ut ipsius Apostolica Authoritate, vel obtinerent honores Ecclesiasticos, vel retinerent?*

**M**onstra hominum, non homines sunt, quicunque vi-  
tiis vivunt coquinati. Animus, in quo præva-  
lente sensu rationi, non servatur ordo naturæ à Deo con-  
stitutus, animalibus merito, non quibusunque, sed mon-  
struosis comparatur. Ecclesiasticos honores indignis con-  
ferre, non est Ministrum eligere, sed monstrum honorare:  
lapidem cum Mercurio confundere est, indignos ad di-

gnitates promovere: *Proverb. 6. 8. Sicut qui immittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem.* Quoties facta sit hæc confusio in Ecclesia, ipsi viderint, ad quos spectat Dei Ministros feligere. Si quis Ecclesiam Dei non regulariter, sed potentialiter ordinat, in promoventis caput, omnia illius, qui promotus est mala redundant. Unde Prædicator egregius, cum dixisset: *Ep. ad Thim. Manus citò nemini imposueris, præstò subjungit, nec communicaveris peccatis alienis, alienis quippe peccatis communicare convincitur, quisquis indignum ad regimen provehere non veretur: & cum Ecclesia Christi, non habens maculam, neque rugam, reproba cuiuslibet ordinatione fædatur, in animam ordinantis, omnis illa letiferæ contagionis lepra transfunditur.* Utinam nunquam ad Romanam Curiam confluenter Ambitiosi, Avari, Simoniaci, Sacrilegi, Concubinarii, Incestuosi, & quæque istiusmodi monstra hominum, ut authoritate Apostolica, vel obtineant honores Ecclesiasticos, vel retineant. Utinam hujusmodi causas nunquam opus esset in Romanâ Curia discutere, à monstris hominum, non ab hominibus excitatas. Quare de modo tenendi ad extirpationem vitiorum, ad informandam Ecclesiam bonis exemplis, ad promovendum Divinum cultum, ad conservandam Ecclesiasticam disciplinam, non omnes, ut par est recogitant, quia in illis causis audiendis, non in ipsis promovendis, tempore lucrum est invenire. Causas præfatas discutere utique spectat ad Ecclesiæ Ministros, sed non expedit à manè ad vesperas in illis infudare: ideo hortatur Eugenium Sanctus Bernardus, has causas non rumpere, sed interrumperе, & prius ad illas promovendas, quæ majoris sunt ponderis sollicitudine sua deflectere, ad orationem scilicet, ad populi instructionem, ad Ecclesiæ informationem, ne in prioribus causis omnino occupatus Episcopus, occasionem præbeat suspicionis, quod in acquisitione turpis quæstus inserviat hominibus.

## SECTIO VIGESIMA PRIMA

*Ergo servum te fecit homo, cui vivere Christus erat, & mori lucrum: ut plures lucrifacceret Christo, non lucra augeret avaritiae. Non est igitur, quod de solertissima Pauli industria, & charitate, tam libera, quam liberali, servili conversationi tuae patrocinium queras.*

**E**cclesiæ Præsules, Ministri, & Servi, in Sacris paginis sæpè nuncupantur, non quidem ut tanquam Mercenarii querant stipendia, sed ut tanquam administratores soliciti lucrum querant, sed animarum. Ministri Ecclesiæ Pastores sunt ergo gerant curam oivilis, & non sint raptiores. Pastores sunt, ergò sint laeti, & lana contenti, & non querant sanguinem. Utinam omnes qui præsunt Ecclesiis, quæ sua sunt non querant ex omnibus charis ejus: peccatorum prætia utique exigunt, & in hoc implet Sacerdotale munus, quod populi peccata comedunt, sed interim peccantibus solitudinem non impendunt; augent itaque lucra avaritiae, non Christo. Certè plures Prælati, non nisi pecuniarias multas delinquentibus imponentes, possent nunc temporis illis Divi Gregorii verbis reprobrari: *S. Greg. homil. 17. in Evang. Cur peccata populi comedere Sacerdotes dicuntur, nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant.*

## SECTIO VIGESIMA SECUNDA

*Quam tuo dignius Apostolata, quam salubrius tuæ conscientiae, quam fructuosijs Ecclesie Dei, audias potius ipsum alibi dicentem, pretio empti estis, nolite effici servi hominum.*

**C**rediderit fortè aliquis, difficulter posse componi hæc verba, cum antecedentibus, ubi Sanctus Bernardus hortabatur Præsules ad ministeria, ibi autem ad eosdem dicit

cit cum Apostolo : *Nolite fieri servi hominum ?* intendit tamen S. Doctor Apostoli testimonio probare , Prælatos à servilibus moribus alienos esse debere . Quisquis se aliqui vitio præbet obsequenter , quamvis liber videatur , miseram tamen servit servitatem : *S. Anbr. de Jacob.* & vita beata . *Servit quicunque , vel metu frangitur , vel declaratione irretitur , vel cupiditatibus ducitur , vel indignatione exasperatur , vel mærore dejicitur , servilis est omnis passio.* Detestatur itaque S. Bernardus non servitatem , quæ quis hominibus famulatur , ut animarum quærat salutem , sed reprobat servitatem , quæ quis vitiis mancipatur : Cæterum vera libertas , ad quam servandam nos omnes hortatur Apostolus , ne in servitatem quidem polita opprimi potest , nisi ponatur in servitatem vitiorum : *S. August. lib. 4. De Civit. Dei.* Bonus etiam si serviat liber est , malus autem , etiam si regnet , servus est ; non quidem unius hominis , sed tot dominorum , quot vitiorum . Ergo servitatem deplorat in Prælatis , qui eosdem tam frequenter hortatur ad ministeria . Verè sit servus , qui suis nequit imperare affectibus : *Seneca de moribus. Stulti sunt , qui servilem fugiunt vestem , serviles mores non fugiunt .*

### SECTIO VIGESIMATERTIA

*Quid servilius , indigniusque , præsertim Summo Pontifici , quam , non dico omni die , sed penè omni hora infudare talibus rebus , & pro talibus .*

**S**Evile est , & indignum infudare temporalibus lucris , studere avaritiae , quandocunque hoc vitium , etiam apud sæculum , licet vitiorum sit seminarium , est detestabile . Omnium iniquitatum capax est avaritia . Tanti profectò est momenti Præfules longè ab omni avaritia vivere , ut ubi nimis solicieti , temporale lucrum quærant , debitum ipsis à Laicis obsequium facile amittant ; quid dicebat

bat Apostolus : 2. ad Cor. Non querō , quæ vestra sunt , sed vos . Ad imitationem Apostoli studeant , & viri Apostolici , non quærere lucra pecuniarum , sed animarum . Solus candor morum , ingenuitas affectuum lucratur Ministris Ecclesiæ , non modo Laicorum affectum , sed eorundem facultates ; ubi enim Laici Ecclesiasticos ab avaritia studio alienos neverint ; eò libentius eorum pedibus se , suaque bona tributaria deponunt . Facile excitantur Laici ad obsequium Ecclesiasticon , quandocunque eosdem non avaritiae studio , & stimulo , sed salutis zelo persequi vitia compererint .

### S E C T I O V I G E S I M A Q U A R T A

*Denique quando oramus ? quando docemus populos ?  
quando meditamur in lege ? quando  
aedificamus Ecclesiam ?*

**H**Æc sunt ministeria , quibus potissimum Episcopos in- cumbere expedit , ferventi orationi , populi instruc- tioni , Ecclesiæ ædificationi , & legis meditationi , ut ope- re comprobare valeant , quod ore quotidiè proferunt : Psalm. 97. *Quomodo dilexi legem tuam Domine tota die , meditatio mea est . Quot Ecclesiastici factis negant , quod ore profitentur , qui non in lege Domini , sed utinam in lege solius Justiniani tota die meditarentur . Quando orant , qui inter solatia , noctem vertunt in diem , & postmodum tenebras quærunt in luce ? Quando docent populum , qui doceri potius indigent , quam docere apti , diligunt magis aurum , quam scientiam , & nauseantes super lectione Sacrarum Scripturarum , librorum inania tractantium quo- diè paginas volvunt . Quando ædificant Ecclesiam , qui juxta Apostoli monitum : Epist. ad Thim. 2. *Cum teneantur in omnibus scipios præberè exemplum bonorum operum , in doctrina , in integritate , in gravitate , in verbo fano , & irreprehensibili , voluptatibus deservire non verentur :**

*S. Hier.*

*S. Hier. epist. ad Heliод. Domus Episcopi, & conversatio  
quasi in speculo posita, magistra est publica disciplina.  
Quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant. Quan-  
do meditantur in lege, qui nunquam cum Propheta ora-  
re didicerunt: Psalm. 97. Da mihi intellectum, & scruta-  
tor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo:  
1. Reg. 12. 22. Absit à me hoc peccatum in Dominum, ut  
cessem orare pro vobis; Dicebat Samuel constitutus super  
populum Israel. Ad peccatum ergo imputatur Prälatis,  
qui præsunt populo Domini, si cessent orare pro Populo.  
Ad promovendam Ecclesiæ utilitatem, nihil efficacius ora-  
tione Prälatorum; quandiu Moyses supplex extendebat  
manus ad Dominum, tandiu triumphavit electus populus  
de inimicis suis. Renovata hæc prodigia in Summis Pon-  
tificibus, in Sancto Pio Quinto, novissime in Innocen-  
tio Undecimo. Oratio Cibus est omnium Christianorum,  
sed potissimum Prälatorum, qui tanquam mediatores in-  
ter Deum, & populum, quò confidentius, eò frequen-  
tius debent supplices accedere ad Dominum, ut obtineant  
divinæ Sedis assistricem sapientiam, quæ unà secum sit,  
& laboret. Secum sit, ut virtutem habeant operandi, se-  
cum laboret, ut vim obtineant perficiendi munus com-  
missæ potestatis.*

### SECTIO VIGESIMA QUINTA

*Et quidem quotidie perstrepunt in Palatio leges, imp-  
sed Justiniani, non Domini. Justè ne,  
etiam istud Tu videris?*

**I**mprobantur hic Ecclesiastici, qui magis se exercent ad  
negotia sæculi, quam ad negotia Christi; forensi jure  
plus utuntur, quam Canonicō, plus Sæculari, quam spi-  
rituali certamine callent. Paratum vult Virum Ecclesia-  
sticum Princeps Ecclesiæ, paratum vult ad reddendam  
rationem, de èa, quæ est in nobis fide, & spe: sed quo-  
nam

nam pacto piger, & imperitus ad ista, gloriabitur Ecclesiasticus, promptè respondens de jure publico, segniter de jure divino; decentius multo in ore viri Ecclesiastici sacra, quam sacerdotalis, canonica, quam civilis littera sonat. Evangelicè loquere, qui vir Evangelicus es. Sermo ergo tuus legem sacram redoleat; Prophetas, Apostolos, eorum verbis linguam tuam exacue, mutua ex eis arma potentia, ad redigendum in captivitatem omnem intellectum, extollentem se adversus scientiam Dei; nec te destruat sermonis sacri facultas, qui in Parabolaram versutias, simul cum Sacerdotalibus introire gloriari. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, non autem Codicis Justiniani, sed Evangelici.

Legum abusus fecit, ut Sancti Viri, & zelo justitiae ferventes, acriorem subindè in leges censuram ferant. Verum non tam leges ipsas, quam abusum, & ipso abutentes feriunt.

Horum sanè vitio fit, ut leges sèpè non nisi lites sint, aut ferant. Nempe & vinum abit in vitium, non sua, sed abutentium culpa, neque ideo vinum rectè culpaveris. Quid enim abusu non possit depravari? Legum porrò usum maximè corrumpunt ambitio, & lucri cupiditas. Hinc nulli ferè causæ, qualiscunque ea sit, patrocinium deest. Hinc illæ litium ambages, antequam ad causæ metam, idest sententiam pervenias, sed de hac re cap. x., redibit sermo.

Hoc loco Sanctus Bernardus avocat Pontificem ab immodicâ legum Justiniani, & litium occupatione: Quid autem vetat idem ad ceteros quoque Ecclesiæ Prælatos, imò & omnes Ecclesiasticos extendere? Quorum plures videmus ad legum, & Jurium studia ferri propensius, eo quod magis ad splendorem, quæstunque, & vitæ commoda spectare putentur.

At quæ ista præpostera vitæ & studiorum ratio, ut toti hodiè sint in legibus Justiniani, quorum tota voluntas, & voluptas esse debebat in lege Domini? Nonne hoc

To. I.

K

ip-

ipsum vitæ genus , & institutum utpotè Clerici (idest in fortē Domini cooptati) profitentur? Nonne hujuscē rei seipsoſ quotidiē commoneſaciunt, cum præente Prophe-ta, Beatos illos pronunciant, quorum voluntas est in lege Domini , & in lege ejus meditantur die, ac nocte? Jam verò illi in Scripturis Divinis hospites , ac peregrini , à libris piis , & spiritualibus alieni , ac fastidiosi , in Codice , & Digestis , Novellis , ac Libellis , legibus , ac liti-bus , majori gustu , & voluptate versantur: cum Codice Evangeliorum , ac gestis Sanctorum nihil illis commercii , nisi quod verba Psalmorum raptim , cursinque demurmu-rant , & chori pensum festinanter absolvunt . Hinc ad pro-fana , ne dum vana studia se se convertunt . Quæ hic me-ditatio Divinæ legis? Quæ sacrarum rerum , & statui Ec-clesiastico congruentium tractatio? & tamen clamant quo-tidie : *Psalm. 97. Quomodo dilexi legem tuam Domine,* tota die meditatio mea est . Mirum , si non verentur te-stem cordis sui Deum ; aut certè propriam conscientiam , ne fortè arguantur mendacii , qui utriusque testimonio convincuntur , nihil minus diligere , quam quod ore pro-fitentur . Quorsum enim quotidiē recitamus Psalmos , non ne , ut congruentes sensibus Psalmorum affectus induca-mus , & mores monitis divinis conformemus? Quis autem credat eos sentire quod asserunt , aut certè per os divini Vatis assertum repetunt quotidiē , Beatum dicentes illum , qui in lege Domini scrutatur , & meditatur die , ac nocte? Quid mirum si tales videamus succō veræ pietatis paulatim deſtitui , nullo divinarum rerum vegetari influ-xu , sensim sine ſenu exareſcere , tandemque poenitus e mori .

Hinc Petrus Blesensis Vir Doctissimus , & ipſe legum peritissimus: *Ep. 26. Res, inquit, plena discriminis est in Clericis usus legum, totum enim hominem adeo ſibi vindicat, ut eum ſuspendat à spiritualibus, à divinis avellat: Hac legum tractatio vix unquam pacifica est, quia ſemper litigat de contractibus, vel quaſi de malefi ciis, de variis figu-ris*

*ris causarum, de actionibus, & obligationibus, de iudiciis, de sententiis, & appellationibus & aliis, quæ cum sopire lites debcant, semper cineres litium excitant, jam sospitos.* Ita ille epistola, qua Clericum Regis Angliae, à studio jurisprudentiæ ad SS. Litterarum studia, veluti statui Ecclesiastico magis congrua provocat. Joannes Sarisberiensis, Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, qui demum pro Ecclesia gloriosus Martyr occubuit, à studio legum dehortatur, utpotè quæ magis curiositati, quam utilitati serviant. *Mallem, inquit, vos ruminare Psalmos, & Beati Gregorii Morales libros evolvere.* Quis est qui post lectionem juris civilis compunctus surgat.

Similem Carolo Borromæo Sanctissimo Præfuli mentem fuisse lego. Usitatam enim, inquit scriptor vitæ, Juris consultorum scientiam, quæ fuerat occupatus adolescentis, minimè jam in Pastorali cura, ad se pertinere arbitratus est. Theologica & Canonica tantum novit, quantum Cardinali magnam Ecclesiam regenti, sufficere posse concessum est. Scripturas divinas potissimum sequebatur, tum veteres Patres Interpretesque illos, qui solidiore sensum amplectuntur. Canonum ea scientia perjucunda erat, quæ Patrum mores, & acta representans, Ecclesiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet. Dolens autem eos, communi consuetudine tantummodo Canones evolvere, qui ad lites, & judicia valent; constituit ipse, qui iis declarandis præcesset, ex quibus sacra majorum instituta, & ritus, optimumque Ecclesia administrandæ genus hauriretur.

Porro superiora omnia cum grano fali accipe. Sobriam enim legum scientiam, & usum, non quæstui, sed iustitiæ & veritatis patrocinio utilem, nemo sapiens damnat: id solum monentur sacri ordinis homines, noverint præcipuas sui status partes, & officia, ament digna, & debita vocationi suæ studia, & præpostorè occupari caueant: ne negligant scire, quæ perfectionem sui status magis, magisque promoveant: nè minorem præcipuis,

majorem vilioribus, & alienis curam, ac industriam impendant. Vide Lindanum Episcopum Ruremond. lib. de Impenit. fug. ubi querit, cur multi Clericorum hodiè, pluris faciant Jurisprudentiæ studia, quam Theologiæ.

Non itaque Sanctus Bernardus damnat in viro Ecclesiastico scientiam legalem, adeò utilem prò humano regimine, quæ justitiæ, & veritati patrocinatur, sed solum intendit admonere, ut noverint præcipuas sui muneris partes, & officia, ament digna, & debita vocationi suæ studia, nè inter varietatem scientiarum, quas scrutantur, scire negligent studia illa, quæ statui Ecclesiastico magis sunt consona. Quæ enim lex magis digna viro Ecclesiastico, an Lex Domini, an Lex Justiniani, cui plures in tantum se totos adjiciunt, ut obtineant dignitates, ut quæstum faciant, non præcisè, ut in tempore opportuno, quæ de jure noverint, sustineant, & pauperum causas patrocinentur; nemo enim sanæ mentis, negaverit laudabilem esse in viro Ecclesiastico scientiam Juris, qui zelo justitiæ, non stimulo quæstus studet legibus Justiniani; ex quo autem de legibus factus est sermo, non erit incongruum hic adhuc advertere, pauciores etiam futuras litteres, si minor legum foret numerus, ex quorum multitudine jam propè in immensum crescunt cavillationes. Argumentum est exuberantium in communitate defectuum, ubi occurrentum est multitudine legum. Leges enim plus ad malos homines corrigendos, quam ad bonos perficiendos multiplicantur, quapropter pro bono regimine, non multæ leges, quarum copia transgressionem generat, sed modicæ, & immobiles, quæ benè & adamassim custodiantur sunt promulgandæ. Sua enim legibus reverentia perit, si leges aut multiplicentur, aut instabiles fiant.



## SECTIO VIGESIMA SEXTA

*Nam certè Lex Domini immaculata convertens animas.  
Hæ autem non tam leges, quam cavillationes sunt,  
& lites subvertentes judicium.*

**L**Eges civiles optimum esse Reipublicæ subsidium. Ne-  
mo sapiens negabit. *Dionysius Alicarnassus: ex quæ  
Republica jura, & leges expelluntur, in eam seditio ingre-  
di solet.* Nil differt non habere leges, & non servare in  
Civitate. Ubi non viget legum observantia, non potest  
non debaccari insolentia. Quà ratione, ait ergo Sanctus  
Bernardus, leges civiles subvertere judicium, quæ uni-  
cum sunt justitiæ præsidium. Profectò non leges, sed ma-  
los legum Professores damnat Sanctus Doctor loco præfa-  
to, quorum vitio fit, ut leges sæpè non nisi cavillatio-  
nes sint, aut excitent lites, protrahant sententiam, ut ex  
protractione sententiæ, litigantium nummos copiosius pa-  
trocinatores emungant; Hæc, & similia exprobrat San-  
ctus Bernardus, à quibus difficulter abstinent legum Pro-  
fessores. Adde, quod vix unquam pacifica invenitur le-  
gum tractatio, quæ ideo plus laicos, quam Ecclesiasticos  
decet, qui solam pacem debent inquirere, & animarum  
lucrum, non quaestum facere.

## SECTIO VIGESIMA SEPTIMA

*Tu ergo Pastor, & Episcopus animarum, quæ mente,  
obsecro sustines coram te, semper silere  
illam, garrire istas.*

**E**Piscopi, & Pastoris animarum titulum acceptare,  
idem est, ac sibi necessitatē imponere tantum mu-  
nus promerendi; Promeruit munus, qui studet implere.  
Gloria Episcopi, non est Episcopale nomen habere, sed  
Pastorale munus perficere. Pastor animarum is dicitur,  
qui

qui providet animabus congruentem alimoniam , sicut Pastor ovium nuncupatur , qui providet ovibus pascua : quomodo autem ceteris animabus provideat , qui propriam neglit ? Quomodo verè Episcopus nuncupandus , qui sustinet coram se filere legem Domini , garrire jurgia ? *Plato in oratione de Repub. Respublica nequaquam probè gubernari potest , nisi ejus Gubernator suprema animi vi Deo jungatur , & ab eo cognitionem hauriat ; quæ ipse vivat , & alios gubernet . Hæc regiminis methodus potissimum servanda est ab his , qui in Christianâ Republicâ animarum Regimini præficiuntur . Rex David de suo Regimine , ut par erat solitus , enixè orabat . In Psalm. Legem pone mibi Domine viam justificationum tuarum , & exquiram eam semper . Longè ab hoc spiritu distant , qui quotidiè non Dei legem exquirunt , sed Justiniani ; justè ne etiam istud , tunc notum erit cum apparebit qui justicias judicabit .*

### SECTIO VIGESIMA OCTAVA

*Fallor , si non movet tibi scrupulum perversitas hæc .*

**P**Erversitatem , de qua loquitur Sanctus Bernardus proculdubio operantur , qui non zelo pacis , sed lucri , sed quæstus , sed avaritiæ studio , plus legibus Justiniani , quæm Evangelicis incumbunt ; si qui sunt Episcopi hæc perversitate inquinati , utique cum illis Pastoribus computandos censeo , quos exprobat Dominus per Ezechiemel 34. *Neque enim quæsierunt Pastores gregem meum , sed passabant semetipſos .* Sunt qui litigantium causas patrocinantur , non ut dissidentes partes componant , sed ut semetipſos pascant litigantium expensis , sicque sub specie zeli , serpit tabes avaritiæ . Heccine illa perversitas , quæ utique scrupulum movere debet , & jam sine scrupulo operatur . *S. Lauren. Justin. de instit. Prælatorum . Circumspiciendum igitur summà curâ , ne in animarum curâ , in peri-*

*pericula nos conjiciamus.* Opportunè judicat Sanctus Bernardus, movere scrupulum Eugenio tantam in rebus gerendis dissipationem, quoniam eodem scrupulo probè stimulati fuerunt Sanctissimi Pontifices, ejus predecessores, inter quos Magnus Gregorius deplorat sortem, & conditio nem suam, cuius sensus opportunè inculcandus his, qui ad dignitates Ecclesiasticas assumpti, nullatenus horrent ad tot curas, & contemplationis remoras, ut potius instar Ephraim, quasi vitula docta diligere trituram, avidi ad extranea negotia ferantur, & esse sub sentibus, delicias computent.

### S E C T I O V I G E S I M A N O N A

*Puto quod interdum compellat clamare ad Dominum cum Propheta. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.*

**F**Abulationes dissipant recta consilia, ideo veritatis summa est inopia in aulis Principum, quia abundant narrantibus fabulationes, ad quas eliminandas, opus est his qui præsunt orare cum Propheta: *Psalm. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo, deduc me in semitam mandatorum tuorum, inclina cor meum in testimonia tua.* Pauci admodum sunt, qui loquantur sine confusione de testimoniosis Domini in conspectu Regum; si qui sunt, qui suadeant bona Principi, vix invenire est, qui suadeant bona, & benè. Plura mala à Regnis suis avverterent Reges, si essent circunstipati narrantibus veritatem, quam ut intelligent, non erit abs re, si aliquando cum simplicioribus sermone n instituant. Antiochus Rex, adeo adulatoribus circumseptus fuit, ut veritatem nunquam percepit, nisi à rusticano quodam viro, apud quem fortè diversabatur, dum ab aulicis in venatione aberrasset; Nam hic super coenam facto sermone de Rege à Rustico non cognito.

Regem

Regem quidem dixit Rusticus esse virum bonum, sed pravis consiliariis circunstipatunr, quiue serua Regni negotia eorum hortatu, vel potius illusione, levioribus causis postponeret: At primo diluculo volantibus ad tugurium Aulicis; tum Rex, non dissimulanter, dissimulatoribus dixit; *Ecce autem veritatem heri demum intellexi, nec à quoquam vestrum, à quo tempore mihi adestis liberiorem audivi.* Narrantes fabulationes non loquuntur cum Principe, sed cum fortuna Principis; non ad publicum bonum, sed ad peculiare lucrum intendunt. Facile Princeps fabulatores discernet, si seipsum consideret, nec qualis sit aliis credit, sed sibi. Fabulationes etiam à veritate segregabit, si quæcumque narrantur, cum lege Dei comparabit. Benè cum Principibus ageretur, si scirent inter adulacionem, & laudem distinguere, sed cæca laudis ambitio, plus credens aliis, quam sibi, utrunque indistinetè recipit; Consuetudo adulatorum in aulis inducta, magnum impedimentum est in cognitione veritatis.

## SECTIO TRIGESIMA

1. *Ergo, & te liberum aude profiteri sub tam gravi mole inconvenientiæ hujus, & cui fas non sit cervicem subducere.*

**E**xpedit Präfules omnibus sibi commissis deservire, sed non in omnibus. Ubi Episcopus quibuscumque levioribus causis discutiendis velit incumbere, se nimis familiarem faciet, cum suæ dignitatis detimento: *Titus Livius lib. 35. Frequens aspectus, minus verendos magnos homines facit.* Frequens appareat Episcopus, sed in causis dignioribus, in Ecclesiæ incrementis spiritualibus promovendis, non in componendis quibuscumque levioris momenti litigiis. In subsidium pauperum, non in favorem litigantium, in oratione, non in decisione causarum: illis servire regnare est, istis incumbere continua vexatio, quæ

quæ in miserabilem servitutem redigit spiritum, & cervicem oprimit sub gravi mole inconvenientiæ , à quâ quantum possibile est, studeant Præsules se subducere, ut illi potissimum appareant addicti servituti, in quâ sola Paulus hortatur Episcopos se exhibere Ministros, ut possint melius vacare Deo, & gloriosius famulari Altissimo.

## SECTIO TRIGESIMA PRIMA

*Nam si potes, & non vis, multò magis servus es hujus ipsius tām perverse voluntatis tue.*

**V**ir Ecclesiasticus eò majorem tenetur æmulari perfectionem, quò majori in dignitate est constitutus: Quisquis hoc studium omittit, proculdubio servus est mala voluntatis, qui emendari ab hac mala voluntate negligit, fit servus peccati. Qui potest malum corrigere, & non corrigit, obsequium peccato accomodat. Errare malum, sed negligere correctionem, pessimum est.

## SECTIO TRIGESIMA SECUNDA

*An non servus, cui dominatur iniqüitas, & maximè, nisi Tu fortè indignius judices, hominem sibi, quam vitium dominari.*

**N**ulla deterior servitus, servitute peccati: Petri ep. 2. 2.  
*An non servus, cui dominatur iniqüitas: S. Ambros. de vita beata. A quò quis superatus est, hujus, & servus est. Servilis est omnis passio: Hinc constat, quam verum sit, quod ait Sanctus Bernardus servum esse, cui dominatur iniqüitas.* Videant qui dominantur in Cleris, & fieri debent forma gregis, an fortè tām pessimæ servitutis, scilicet alicuius prædominantis passionis jugo obruantur. Quà fronte prædicabunt libertatem à peccato, qui in vinculis jacent peccati. Solo nomine, & fastu Domini.

ni, reverà autem servi miserabiles, quia servilis est omnis passio, nisi fortè indignius judicent hominem sibi, quam vitium dominari.

### SECTIO TRIGESIMATER TIA

*Quid interest volens servias, an invitus, nam & si coacta servitus miserabilior, sed affectata miserior est.*

**N**ulla servitus turpior est, quam voluntaria: Plutarc. in Moral. Si miserrimum est servire, multò miserrimum est servire his, quorum servitutem potes effugere, quæ omnia de his, qui serviunt peccato, potissimum vera esse perhibentur; siquidem omnis alia servitus potest esse coacta, sola servitus peccati est voluntaria; ideo miserior quisquis servit peccato, quia servitus peccati, cum sit affectata, longè turpior est, & consequenter miserior quacunque servitute coacta, ubi enim major turpitude, ibi major miseria: utique miserabilior coacta servitus, quis enim coacte gementi non condoleat, sed voluntarie succumbenti, non est qui compatiatur: itaque & si coacta servitus miserabilior; affectata, miserior est.

### CAPUT QUARTUM

#### SYNOPSIS.

Hortatur Præfules non rumpere, sed interrumpere occupationes, de quibus actum in antecedenti capite. Suadet interdum insistendum esse sui ipsius considerationi, & non ita intendendum occupationibus, ac curis externis, ut penè obliviscamur animæ nostræ; ideo non gerendam aliorum curam, cum animæ incuria, & neglegētū. Vera Charitas incipit à seipsa; opportet interdum reddere, seipsum sibi; tuius apud majestatem timiditate, quam temeritate periclitari.

SE-

## S E C T I O P R I M A

*Et quid me vis facere , inquis ? ut tibi ab his occupationibus parcas . Impossibile fortasse respondebis . Facilius Cathedræ valedicere posse , rectè hoc , si rumpere , & non interrumpere ista hortarer .*

**E**xternas animi curas à Pontificatu sejungere impossibile est . Principatum assumere , idem est , ac necessitatem vivendi aliis , sibi imponere . Impossibile est Principi , ut sibi omnino ab occupationibus parcat : externas curas à Regimine sejungi non posse , novit utique Sanctus Bernardus , & ideo condoluit Eugenio , quem tot , tantisque occupationibus gravatum animadverterat . Frustrà autem condoluisset , quandocunque ab externis curis Eugenius , se se omnino potuisset eximere . Monachum , non Monarcam ageret , qui electus in Principem , se totum contemplationi , actioni nihil daret . Nihilominus , cum Sanctus Bernardus occupationes , non rumpere , sed interrumpere hortatur Eugenium , & in eo omnes Principes , & Præfules , utique impossibilia non docet ; Quandoquidem tot sanctissimi Pontifices , & Reges , huic doctrinæ inharentes , Mariæ , & Martæ munere fungi potuerunt , summà Ecclesiæ , & Regni ædificatione ; supervacaneum esset ad rem exempla contexere , quibus historicæ paginæ sunt cumulatae . Actioni ergo vacent Principes , & Præfules , sed contemplationis exercitio non fraudentur : studeant sedandis jurgiis , sed non obliviscantur , per contemplationem incumbere componendis moribus ; invigilent commissæ Ecclesiæ , vel Principatus ornatui , & incremento ; sed sciant potissimum Ecclesiæ bonum , & Regni decus esse , habere Pontificem nomine , & factis Sanctissimum , necnon Principem pietatis studio addictum ; hoc assequentur , si curas externas non rumpere , sed interrumpere , per considerationis exercitium didicerint , si me-

minerint, non semper, non sàpè, sed vel interdum redere seipso sibi.

Nec totus actioni, nec totus contemplationi vacare debet, qui utriusque vitæ activæ simul, & contemplatiæ officia persolvere tenetur, & munera; Nonnulli gregis quidem curam suscipiunt, sed sibi met vacare ad spiritualia sic appetunt, ut rebus exterioribus nullatenus occupentur. Episcopus neque contemplativæ vitæ otium se-  
ctando, debet activam omnino vitam deserere, nec per activæ lassitudinem liberè discurrendo, debet à contemplatione recedere: Ad Episcopatum assumptus, statim sollicità mentis indagatione perquirat, quomodo ad tempus valeat ab externis curis recedere, ut soli Deo possit specialius adhærere; congruum judicans nec interiorum curam, exteriorum occupatione minuere, nec rursus exteriorum providentiam, internorum sollicitudine funditus declinare; ne videlicet aut exterioribus nimis deditus, ab internis omnino corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet proximo sibi commisso, negligentius exhibeat. Pauli exempla sectando, Cælum contemplatione transcendat, nec tamen proximorum sollicitudinem deserat. Sicut Jacob Domino desuper innitente, & unto deorsum lapide, ascendentes Angelos, & descendentes videbat, sic Episcopus, non solum, quæ sursum sunt, contemplationi omnino deditus appetat, sed deorsum quoque, ad commissi sibi gregis providentiam descendat; velut alter Moyse crebrò tabernaculum intret, & exeat: intus in contemplationem rapiatur, foris infirmantium negotiis subveniat, intus Dei arcana consideret, foris onera sibi commissi gregis, sua providentia, ope, & auxilio portet: in hoc errant Plures Prælati, qui propter peculiari orationis studia, quibus insistere forte contendunt, disciplinam populi sibi commissi negligunt, & salutem plebis, quæ justitiam à Prælato præstolatur omittunt. Hinc falsæ pietatis errore decepti, undè se Deo placere insipienter putant; inde supremo domino magis displicere,

con-

convincuntur , & ex eo merentur iram , unde se adepti-  
ros opinati sunt gratiam .

## S E C T I O S E C U N D A

*Audi ergo quid redarguam , quid suadeam :*

**R**edarguit in præsenti Sanctus Bernardus Præsules illos , qui sub charitatis exercendæ specioso titulo , itâ sunt dediti alienis negotiis , ut potissimum in Charitate deficiant , quæ ad hoc ut sit ordinata , debet à propriæ salutis sollicitudine exordiri ; neque patitur esse præposta , quemadmodum in plurimis videre est , qui ut alienis vacent , quasi penitus seipso negligunt , totum dantes actioni , contemplationi nihil : In hac ergo causâ præcipue insistit S. Bernardus dicens : *Audi ergo , quid redarguam , quid suadeam.* Non quod temerè judicet vitium hoc frequentius serpere in Ecclesia , sed quiâ bene novit , quod caro , & sanguis ad hoc vitium proclives quodammodo homines esse compellit . Da Ecclesiasticum virum sine affectu ad sanguinem , & facile in eo reperies omnes ordinatos affectus . Audiant ergo Viri Ecclesiastici Sanctum Bernardum redarguentem , & suadentem . Verus auditus non est ille qui in aure tantum resonat , sed qui in corde percipitur ; ille siquidem verè audit , qui quod percipit aure , curat transcribere in corde .

## S E C T I O T E R T I A

*Si quod vivis , quod sapis , totum das actioni , contemplationi nihil , laudo te , in hoc non laudo . Puto quod & nemo , qui à Salomone audierit , qui minoratur actu , percipiet Sapientiam .*

**Q**ui subtrahit se ab actibus exterioribus , perfectè capiet . Ugo in Ecclesiast. cap. 38. Unde illud Ecclesiasti-

siaſtici ad rem ſaluberrimum monitum : Eccleſiaſt. 11.  
*Fili ne in multis ſint actus tui : S. Iſidorus lib. 2. Sentent.*  
*Nullus ſapientiam Dei recipit, niſi qui ſe abſtrahere ab*  
*actionum curā contendit.* Similiter scriptum eſt, ſapientiam  
*ſcribe in tempore otii, & qui minoratur actu percipiet ſa-*  
*pientiam.* Difficile eſt cæleſtem Sapientiam inter externas  
vexationes addiſcere ; Veritatem hanc novit Magnus Gre-  
gorius, ſic diſſerens : *S. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 1.*  
*Animus meus ex occaſione curæ Paſtoralis, ſecularium nego-*  
*tia patitur, & poſt tam pulchram quietis ſuæ ſpeciem,*  
*terreni actus pulvere fædatur, cunque ad exteriora ſpar-*  
*ſerit, prò condescenſione multerum, etiam cum interiora ap-*  
*petit, ad hæc proculdubio minor reddit.* Veritas haec ab om-  
nibus Sanctis Patribus cognita, quæ noſtris temporibus  
quodammodo videtur ignota, vel ſi nota neglecta. Stu-  
diuſ ſcilicet veræ ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, eſſe oratio-  
nem, quam ſapientiam haudquaquam valet percipere, niſi  
qui minoratur actu. Cæleſtia, & terreftria nusquam con-  
veniunt : *Theophilactus ad cap. 14. Lucae. Profecto circa*  
*terrena occupatus, non vult ſpiritualis cœnae particeps eſſe.*

Hic advertemendum, quod minorari actu, non eſt pe-  
nitū actionem relinquere, ad quam etiam nos hortantur  
Sacræ paginæ. Ille itaque minoratur actu, qui abjectis inu-  
tilibus occupationibus, ſolummodò ex iuſtitia, aut ex cha-  
ritate debitibus actionibus, regulariter ſe ſe valet adjicere,  
ſicutque opportunè hujusmodi actiones interrumpere, ut  
valeat identidem reddere ſeipſum ſibi. Nihil ultrà con-  
dit Santos Bernardus, cum hortatur Pontificem interrum-  
pere negotia; quæ omnino rumpere utique impoſſibile  
noverat, ſedenti in Throno excelſo, ut intendat ſuper om-  
nes Gentes. Pensitet autem aqua lance, quisquis in di-  
gnitate Pontificia eſt conſtitutus, & ad exteriora negotia  
rapitur, an ſolum in negotiis ex charitate, & iuſtitia de-  
bitis ſe ſe exerceat, vel potius affectu ſanguinis impellente,  
in pluribus curis occupetur, & facile tempus conſidera-  
tiōni debitum, ab actione ſubtrahendum inveniet. Profecto  
quis

quis reprehendat in Præsule occupationem, quæ provenit ex charitate, & ex debito muneric pastoralis? Quis non redarguat occupationem quancunqne, ex terreno affectu dimanantem? Hæc, non illa actio avvertit sapientiam.

## S E C T I Q U A R T A

*Certè nec ipsi actioni expedit consideratione non præveniri.*

**O**Mnis actio, quam non prævenit consideratio, deviat à recto fine: *S. Thom. 2. 2. q. 47. Sicut autem finis est potissimum in unoquoque, ita defectus, qui est circa finem, est pessimus.* Ad hunc defectum ab omni actione avertendum, expedit omnem actionem considerationem, idest oratione prævenire, scilicet per orationem à Deo consilium quærere, antequam de re aliquà peragenda, quis valeat deliberare. Tanta est ultimi finis dignitas, ut quidquid agitur, ad ipsum beat referri. *Hæc est generatio querentium Dominum in omnibus operibus suis.* Sicut è converso generatio illa est prava, & exasperans, quæ non direxit ad Deum cor suum. *Quisquis Christiano nomine gloriatur, dicere debet in omnibus. Pars mea Deus in eternum.*

Nulla operatio Viri Ecclesiastici, esse debet à prudentia sejuncta: vera prudentia ad rectè operandum, sola oratione comparatur, juxta monitum Principis Apostolorum: *I. Petri 4. Estote prudentes; & in orationibus vigilantes:* per considerationem, & orationem, tanquam per gradus ad prudentem actionem pervenitur: *S. Thomas 2. 2. q. 53. Siquis feratur ad agendum, per transitus hujusmodi gradibus per impetum voluntatis, erit præcipitatio.* Qui actionem oratione non prævenit, Deum non habet cooperatorem, qui tamen cum omnibus Prælatis cooperari se velle, maxime in his quæ ad bonum Ecclesiæ regimen spectant profitetur: *Matth. 21. Ecce Ego vobiscum sum omnibus dic-*

diebus, usque ad consummationem saeculi: Albertus Magnus Comment. in Matth. idest in operatione Ecclesiastice potestatis. Ergo quisquis es in regimine Ecclesiae constitutus: Proverb. 4. 25. Palpebra tua praecedant gressus tuos, idest præveni actionem consideratione, & per orationem Deum tibi coadjutorem exposce. Quid autem sentiendum de Prælatis, quorum actiones lumine considerationis non præveniuntur, isti profectò cum illo computandi sunt, qui dicebat: Job 22. 3. Ad lumen ejus ambulabam in tenebris: S. Ber. ep. 42. Quotquot Episcopalem dignitatem impletis, si prudenter cogitatis Sacerdotale munus, Episcopale onus non posse administrari sine consilio. Etiam veritatem hanc intelligitis, quatenus, nec ipsi actioni expedit consideratione non præveniri. Quicunque in aliquo regimine sunt constituti, videntes dicuntur: quæ ratione autem videntes dici possunt, qui oculum considerationis non habent. Nihil differt non habere custodem, & habere vigilem cæcum. Cæcus est Princeps, qui actionem consideratione non prævenit. Nihil perniciösius in regimine præcipitatis actionibus; nunquam tarda fuerunt bene maturata consilia.

### SECTIO QUINTA

*Si item totus vis esse omnium, instar illius, qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena, te excluso? Et tu homo es: Ergo ut plena sit, & integra humanitas, colligat & te intrâ te sinus, qui omnes recipit.*

**O**MNIBUS est omnia factus, qui vivit cautus sibi, utilis aliis, gratus Deo. Qui in uno ex his deficit, nequit cum Apostolo dicere: 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum;* Apostolus enim, ut advertit hoc loco Sanctus Chrysostomus, nihil unquam admisit, quod posset reprehendi, dum ut aliorum prospiceret saluti, erat omnibus om-

omnia factus; quomodo autem repræhensionem effugient, qui gloriantur omnibus omnia fieri, propria salute neglecta. Non est omnibus, qui non est etiam sibi; ergo ut plena sit Prælatorum humanitas, dum omnibus provident, sibi etiam debent prospicere. Cautè autem intelligendum, quæ ratione Apostolus esset omnibus omnia factus, in his siquidem, quæ ad animæ salutem, non quæ ad bonum corporis pertinent, erat omnibus omnia. Videant Apostolici Viri, an etiam in hac parte Apostoli sequantur vestigia. Debet Episcopus esse omnibus omnia, scilicet afflictis consolatio, pauperibus subsidium, derelictis refugium, peccatoribus salus, errantibus via, ignorantibus eruditio, Clericis norma, Dioceſanis speculum: tales ex debito tenentur esse Apostolorum successores. Quomodo hoc implere poterunt debitum, quorum sollicitudo est in construendis adiunctis, in ornandis Palatiis, in ditandis parentibus, itaut ab ejusmodi vexationibus, vix unquam ad supernorum contemplationem eleventur. Tanquam viduata Episcopo dici potest Cathedra illa, quæ Episcopum non habet, juxta Apostoli exemplum *omnibus omnia factum.*

## S E C T I O S E X T A

*Alioquin quid tibi prodest, iuxta Verbum Domini,  
si universos lucreris, te unum perdens? Cum  
omnes te habeant, esto etiam tu  
ex habentibus unus.*

**O**mne lucrum est detrimentum, perdenti animam suam. Sordent terrena comparata cælestibus. Quam igitur commutationem dabit homo pro anima sua, si tantum amiserit Thesaurum, etiam si omnes Mundi divitias lucrifaceret: *Demosthenes. Incredibile est alicui tantam ignaviam esse insitam, ut salutem suam negligat.* Summa esset ignavia aliorum salutem querere, & propriam despiciere.

To. I.

M

cere.

cere. Quamobrem qui omnibus studet prodeſſe, quæ propriae ſaluti proficia compererit, non debet despicer.

## SECTIO SEPTIMA

*Quid ſolus fraudaris munere tui?*

**P**Rimum officium, quod nobis eſt demandatum, hoc unum eſt, ſcilicet animæ noſtræ præcavere ſalutem, hoc unum cæteris omnibus debet præferri; Potiſſimū vi-giles conſtituti ſumus à Deo, ſupra commiſſæ nobis animæ cuſtodiam, neque cum hujus detrimen-to, expedit aliorum occurrere ſaluti. Nunquid laudabile eſſet opus militis, qui locum ſuæ vigilantiæ commiſſum relinqueret, hostium invaſioni liberum, ut aliorum occurreret deſenſio: Imò objurgaretur à Duce, quid fraudaris munere tui? pœnam utique recepturus prò ſtipendio.

## SECTIO OCTAVA

*Uſquequò vadens ſpiritus, & non rediens.*

**S**piritus hominis facile in externis diſſipatur, & diſſilie ad interna negotia colligitur, propterea de eodem dicitur, quod ſit *vadens, & non rediens*. Spiritus ſaepè ultrò obtemperat deſideriis carnis, affectui ſanguinis, & procul errat; ſed ex ſe non regreditur, niſi ſpeciali opi-tulante Dei gratia. Habet enim Homo ex ſe poſſe pec-care, non autem habet ex ſe poſſe reſurgere; ideò de-eodem dicitur, quòd ſit *vadens, & non rediens*: attendat unusquisque in occupationibus ſuis, quòd vadat, & medite-tur, an facile ſit poſſe reverti: Militans Deo, ſi plura ne-gotia ſeculi amplectatur, diſſilie poterit reverti, & ad ſpiritualia officia revocari: *S. Lauren. Just. de iſſit. Prae-lat. Circumſpiciendum igitur ſumma cura, ne in anima-rum cura, in pericula nos conjiciamus.*

SE-

## SECTIO NONA

*Usquequò non recipis te, O ipse inter alios vice tua, sapientibus, & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? Stultus, & sapiens, servus, & liber, dives, & pauper, Vir, & Fœmina, senex, & juvenis, Clericus, & Laicus, justus, & impius, omnes pariter participant te, omnes de publico fonte bibunt pectore tuo, & tu seorsum stabis sitiens?*

**D**ebitum irrevocabile evangelizandi, incumbit omnibus Episcopis, qui Apostolorum sunt Successores, creditum enim est eis hoc munus à Christo; unde Paulus ait, *Veh mihi, si non evangelizavero: deinde sapientibus, & insipientibus se debitorem profitetur, quia fuerat potissimum destinatus ad gentes, Evangelicis præceptis instituendas: sive ille eruditione præstarent, sive planè rudes essent, atque incultæ: Idem profectò munus incumbit Episcopis, æquè omnibus sibi commissis ovibus, providere tenentur; sed cum aliis provident, debent & se recipere inter alios vice suâ, ut dum omnes de fonte publico bibunt, ipsi non stent seorsum sitientes. In oratione, in pietate, in eleemosina, in probris exemplis præcedant, quos docent verbo, nec seipso sibi negent, qui toti aliis esse gloriantur, ut verè possint in Domino gloriarí; non enim ille probatus est, qui seipsum per solam solicitudinem externam commendat, sed qui simul, & semel, de internâ solicitudine circa propriæ animæ salutem à Domino merebitur commendari.*

Attendant interim Præsules, quale, ac quantum sit eorum debitum, qui omnibus sunt debitores. Debitor est Episcopus stulto, ut per eum discat prudentiam, & quiunque est stultus in culpâ fiat sapiens in poena. Debitor est sapienti, nam cum sapientiâ hujus mundi, stultitia fit apud Deum; Episcoporum est sapientes in sæculo, revocare ad sapientiam æternorum; ut discant, quod prima sapientia

est vita laudabilis apud Deum , ut noscant , quod : *S. Greg. Nazianz. in apolog. Sapientia illa clara est, quæ non in verbis volat, sed virtutibus constat.* Debitor est servo , ut eum defendat , ne opprimatur à Domino ; libero ne in servitatem redigatur , *Diviti* , ut discat subvenire pauperibus , & sibi thesaurizare thesaurum non deficientem in cælo ; pauperi , ut inveniat subsidium ; Viro , ut juxta Apostoli monitum evacuat , quæ sunt parvuli , & intelligat , quod vir à virtute dicitur , & cognoscat quòd Scriptura sacra viros appellare consuevit , qui vias fortibus , & non dilolutis gressibus sequuntur ; *Quod vir bonus est, qui consulta Patrum, qui leges juraque servat.* Fœminis etiam debitor est , ut discant Mulieris famam , non formam , vulgatam esse opportere ; Senibus , ut sint exemplo juvenibus , & si forte juventutem sine fructu præterierunt , saltet in senectute resipiscant ; Juveni , ut bonis instruatur moribus ; Clerico , ut à sæcularium moribus declinet ; Laico ut submissus vivat Ecclesiasticae potestati ; Justo ut justificetur adhuc ; impio ut corrigatur , sicque omnes participare debent de Episcopo , qui tanquam lucerna super candelabrum , lucere debet omnibus , qui in Domo Dei sunt , & fieri forma totius gregis . Lux enim gregis , est flamma Pastoris . Misera Prælatorum conversatio , misera subditorum subversio est .

## SECTIO DECIMA

*Si maledictus, qui partem suam facit deteriorem, quid ille, qui se penitus reddit expertem.*

**S**I de animabus suæ curæ commissis , tenetur Episcopus rationem reddere , quantò magis de propriâ anima debet esse solitus , ne illas disperdendo , hanc negligendo , non modò partem suam in conspectu Domini faciat deteriorem , sed se penitus reddit expertem .

## SECTIO UNDECIMA

*Sanè deriventur aquæ tuæ in Plateâ, homines & jumenta  
 & pecora bibant ex eis, quin & Camelis pueri  
 Abrahe potum tribuas, sed inter cæteros  
 bibe, & tu de fonte putei tui.*

**A**Quæ nostræ foras derivant, cum alios docemus, benè consulimus, monemus, & in omni sanctitate firmamus. Præcipuè Præfules debent hujusmodi aquas aliis communicare largè, & liberaliter, instar fontis, qui tantum aquæ emittit, quantum recipit. Indicatur autem in præsenti, à Divo Bernardo, qualiter omnes debent de plenitude summi Pontificis participare, siquidem omnibus curare debet ut profit, quandoquidem asserit S. Doctor, homines, & jumenta debere bibere ex ejus publico fonte. Ideò non modò homines, sed & jumenta commemorat, qui modus dicendi consonat Sacris paginis, ubi exprimunt summam Dei misericordiam, de qua legitur: *homines, & jumenta salvabis Domine*. Cæterum, sicut in præsenti Sanctus Hieronymus exponit prò hominibus illos, qui virtutibus ornati sunt, & ingenio pollut, prò jumentis verò rudiores, & peccatores, super quos omnes diffusa sunt viscera misericordiae Dei, eundem crediderim fuisse in præsenti intellectum S. Bernardi, dum homines, ait, & jumenta debere de publico fonte bibere; scilicet solitudinem Pastoralem Pontificis, debere non tam ad bonos, quam ad malos se diffundere, ut primos in bono confirmet, alios verò à malo revocet, sicque omnes de publico fonte bibant, idest Pontificiam solitudinem experiantur, ita tamen, ut quantum Pontifex de alienâ salute est anxius, tantum sit de propriâ solitus.

## SECTIO DUODECIMA

*Alienus, inquit, non bibat ex eo, nunquid tu alienus?  
cui non alienus, si tibi es? denique  
si tibi nequam, cui bonus.*

**F**acile despicit alienam, qui propriam neglit salutem: qui suis casibus providere nescit, providus esse nequit in alienis necessitatibus, *qui sibi nequam cui bonus?* Quod si invenire esset Præfulem, qui se totum aliis daret, nihil omnino sui sibi relinquens in his, quæ ad spiritum pertinent, utique sibi viveret injurius; qui autem sibi nequam, cui bonus? nunquam apud Deum erit commendabile quocunque opus, quod aggredimur, cum detimento propriæ salutis. Curet itaque etiam seipsum, qui aliorum curæ admovet manum, & eosdem erga se experiatur charitatis effectus, quos studet in alios diffundere.

## SECTIO DECIMATERTIA

*Memento proinde, non dico semper, non dico sapè, sed  
vel interdum reddere te ipsum tibi. Uttere tu quoque  
te inter multos, aut certè post multos.*

**U**na vivendi methodus non potest omniibus exhiberi accommoda; nec una, & eadem sufficit ad omnes indiscriminatim erudiendos disciplina; diversi auditorum status, diversas exigunt eruditionis regulas; necessarius potissimum hic intellectus in eo, qui spiritum Principis dirigit. Indiscretionis notam, non modo incurreret, sed in arte dirigendi Principem, se ignorantem ostenderet, qui ut eundem ad pietatem excitaret, ab omni actione desistere, & soli contemplationi vacare suaderet: Porrò hæc docendi methodus continet, non modo fortia, sed impossibilia Principi, qui debet ex officio, & aliis vacare numeri-

neribus, quæ omnino regnantium conditionem sequuntur. Constituit Deus Principes, ut invigilant ad crediti populi custodiam, neque acceptat continuam contemplationem, ubi etiam exigit indefessam actionem. Haec sinequa, quām discretus S. Bernardus, qui summum Pontificem instruens, ejusque occupationes satis discernens, non semper, non sāpē, sed interdum contemplationi vacare hortatur, ut saltem postquam aliis providerit, etiam sibi propiciat. Saltem post multos (ait) contigit enim aliquando plura negotia discutienda proponi, quæ prō bono regimine Christianæ Reipublicæ, dilationem non sustinent; Ideò post hæc, hortatur Pontificem reddere se sibi; certè non fortia, non impossibilia loquitur, qui adeò indulgenter loquitur.

### S E C T I O D E C I M A Q U A R T A

*Quid indulgentius? Hoc enim dico secundum indulgentiam, non secundum judicium.*

**R**eferuntur hæc verba ad superius jam dicta. Videtur siquidem, quod quæ ad propriam salutem pertinent, prævenire deberent quæcumque extranea negotia: attamen si secundum indulgentiam loqui fas est, in re tanti momenti, saltem post multos, qui præsunt aliorum curæ, redant se ipsos sibi, ut non minus de alienâ, quām de propria salute, videantur esse solliciti.

### S E C T I O D E C I M A Q U I N T A

*Puto, & ipso Apostolo indulgentiorem me in hac parte;*  
*Ergo plusquam opportet, inquis? Non inferior. Quid si ita opportet? Nam tu, ut confido, nostra non eris meticulous informatione contentus, sed abundabis magis.*

**Q**uibdam remedia inculcanda sunt, quibdam monstra: Seneca in præcep. Moral. Hoc habent peculia-

culiare à Deo insitum Principes, ut in viâ bonâ, quam semel arripuerint, semper æmulentur charismata meliora; ideo sufficit ut plurimum eis indicare quid agendum, student enim perfectè operari opus, ad quod semel animum applicuerint; innatum siquidem est Regibus, itâ operari, ut eorum opera, etiam quandam regalem magnificientiam redoleant, ideo non sunt contenti meticuloſa præceptorum informatione, sed ut plurimum abundant magis. Periculosè, atquè meticulosè, apud Magnates dicitur veritas, quorum aures blandis, ut plurimum, & jucundis assueverunt: at veritatis oratio gravis, & aspera, pungere potius, quam mulcere novit: Hinc sit, ut veritatis, id est eorum, qui sincerè loquantur inopia, potissimum laborent magna fastigia. Itaque Principum est (quod hic Sanctus Bernardus insinuat) ultrà monita conari, nec putare abundè jam factum, cum ea ad quæ moventur, solum fecerint: optimè consciî, quod Consiliarius, sæpè non profert omnia, quæ dicenda occurrunt: sæpius non cordatè, & candidè monet, & inculcat, quæ res & ratio postulat: nempe pudore, & reverentiâ, non raro etiam (quod tamen indignum) spe, vel timore prohibitus.

Principes, & Prælati, ut sibi benè consulant, in monitores, Consiliarios, Confessarios suos, eligant viros graves, cordatos, candidos, qui nihil sperent nisi Deum, nihil timeant nisi peccatum; monendi, arguendique potestatem conferant, imò necessitatem imponant. Certè spes lautioris fortunæ, & timor offendæ, mali sunt Consiliarii notæ; quam verò ab utraque alienus fuerit Bernardus, sat is hic ipse liber de Consid. ostendit. Meticulosam nihilo minus vocat informationem suam, causâ reverentiæ, quam profitetur Pontifici; & de quâ profatur in prologo his sensibus. *Sed nescio quomodo vult, & non vult exire læta quidem, sed lenta oratio, dum certatim illi contraria imperare contendunt majestas, atque amor.*

## SECTIO DECIMASEXTA

*Sanè sic decet te scilicet abundantiorum, quàm me audaciorem esse, ego quoque mihi tutius judico, apud Majestatem timiditatem, quàm temeritate periclitari.*

**I**N Aulis Principum nihil est turpius temerariis Consiliariis. Horum hortatu, sàpè Principatus in Tyrannidem declinarunt, & ferreo sub jugo ingemuerunt Populi, qui secus sub indole, per se bona Principis, sed à temerariis Consiliariis depravatà, aurea secula fuissent experti: nihilominus vix est apud historicos invenire audacem Consiliarium, qui audaciæ suæ poenam, tandem aliquando non dederit: Ideò tutius est in Aulis, apud Majestatem timiditatem, quàm temeritate periclitari. Temerarium Consiliarium, & sapientem invenies difficile. *Aristoteles: Sapiens non omnino timiditate caret. Cic. pro Murenā: Temeritas cum sapientia non commiscetur.*

## SECTIO DECIMASEPTIMA

*Et fortassis, non secus moveri sapientem opportuit, ut sit, quod scriptum est. Da occasionem sapienti, & sapientior erit.*

**V**erè sapiens suum in omnibus vestigat profectum, bonum cognitum statim elit, & malum reprobat. Sufficit proindè sapienti suggerere occasionem proficiendi, ut ulterius se provehat, undè illud *sapiens nutu, stultus fusse movendus*; multi sapientiam acquirerent, si oblatà occasione scirent proficere. Vera sapientia est præsenti momento, semper uti quàm optimè.

## C A P U T Q U I N T U M

### S Y N O P S I S .

*Docet Prælatos habere à Deo potestatem judicandi in causis majoribus, scilicet spiritualibus, à fortiori habere auctoritatem judicandi in causis minoribus, scilicet temporalibus. Attamen non videri consonum Ecclesiasticas dignitati, qualis est dignitas Prælatorum, quodammodo se deprimere ad judicandum de causis temporalibus, quippe quæ comparatae spiritualibus vilescunt; potius hoc iudicium relinquendum esse judicibus secularibus.*

### S E C T I O P R I M A

*Audi tamen Apostolum, quid de hujusmodi sentiat.*

**A**postolicis viris, Apostolica doctrina est exhibenda, studiosius enim eorum dogmata sequuntur, quorum sunt successores: quomodo enim eorum doctrinam reprobare audeant opere, quorum verbo, & auctoritate confirmantur in fide. Difficile est ab eorum sensu, sensatum virum avelli, quorum auctoritate fulcitur. Ideo Apostolicum virum alloquens Sanctus Bernardus, Apostolicum exhibet sensum, dicens. *Audi tamen Apostolum, quid de hujusmodi sentiat.* Institutores Principum, doctrinam suam seniorum Doctorum debent auctoritate firmare, ut nihil novi proponere videantur, nihilve tam arduum, quod alii Principes consequiti non fuerint. Facile Principes, cum Magistro doctrinam reprobant, quam genium non secundantem compererint, nisi prædecessorum exemplis robora tam cognoverint; student enim potius leges genio, quam genium legibus accommodare.

## S E C T I O S E C U N D A

*Sic non est inter vos Sapiens, ait ille, qui judicet inter Fratrem, & Fratrem, & infert, ad ignominiam vobis dico, contemptibiores, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum*

**S**atis manifestè constat ex præfatis verbis, Apostolum insisterे, ut Ecclesiastici dissidia componant, & in hoc sensu præcipit constitui judices, qui causas sacerdtales expediant, quæ lex ab initio Ecclesiæ, ita invaluit, ut omnes fere Episcopi, quascunque causas sacerdtales compoñerent, ne mo enim vel leviter in Ecclesiasticis versatus historiis, negaverit sanctiores Episcopos, Arbitri honorarii munere simul, & semel perfunctos fuisse, ut constat de S. Gregorio Taumaturgo, teste *Nissenio in ejus vita*, de S. Ambrosio, ut colligitur *ex lib. Offici. cap. 29.* de Sancto Augustino, ut patet *de opere Monachorum cap. 26.* aliisque quamplurimis. Proculdubio in primitivâ Ecclesiâ, causarum etiam sacerdtales judicium, commissum fuisse Presbyteris, patet ex S. Clemente *lib. 2. const. cap. 29.* idem etiam colligitur ex epistola prima ad Jacobum Fratrem Domini, ubi legitur: *Si qui Fratres habent negotia inter se, apud Cognitores sacerduli ne judicentur, sed apud Presbyteros Ecclesiæ, quidquid est illud dirimatur, & omnimodo obedient statutis eorum.* Quod postea lege Cæsarea etiam roboratum fuit, quæ extat quæst. 1. Can. *Quicunque litem habens, sive petitor fuerit, vel initio litis, vel diversis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit sacroſanctæ Sedis Antistititis, illicò sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragetur, ad Episcoporum judicium, cum sermone litigantium dirigatur.*

Jus componendi causas, etiam sacerdtales, Ecclesiâ habet à Deo: quandoquidem hæc veritas aperte colligitur ex verbo Dei; Quomodo enim præciperet Apostolus, ut

Episcopi constituant Judices in causis sacerdotalibus, si de talibus causis, judicium Episcopis non competenteret. Verum quidem est, quod crescente cum numero fratrum, scilicet Christianorum, etiam numero contentionum, & hac de causa, jam difficulter possent Episcopi ceteris pastoralibus muneribus satisfacere, compositionem causarum sacerdotalium, ad Judices sacerulares rejecerunt, unde Sanctus Petrus, Epistola prima ad Clementem, & in eo ad omnes Episcopos sic loquitur: *Nec enim Judicem, aut Cognitorum sacerdotalium negotiorum hodiè ordinatus vult Christus, ne præfocatus presentibus non possit verbo Dei vacare.* Ubi ergo Episcopus possit utriusque ministerio vacare, scilicet & sedandis litibus, & verbi Dei prædicationi, utrumque ministerium potest adimplere: ubi autem sit præfocatus a litibus, ad ipsum delatis, expedit illas vel in parte, vel in toto juxta temporis, & causæ exigentiam, aliis iudicibus remittere, ut quod potissimum est muneris Episcopalis perficere valeat. Hoc est, quod in praesenti Sanctus Bernardus docet Eugenium, & huc spectat, quod hoc loco dicit Glossa, ut videlicet: *Hi terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam percepérunt, qui autem spiritualibus donis ditati sunt, terrenis negotiis non opportet implicari, ut dum non coguntur inferiora bona disponere, Superioribus bonis valeant deservire.* Sed tamen curandum est magnopere, ut hi, qui bonis spiritualibus emicant, nequaquam proximorum infirmantium negotia funditus deferant: Hic oportunè notanda sunt illa verba *nequaquam proximorum negotia funditus deferant;* ut scilicet intelligent Episcopi, quod cum noverint ex humana infirmitate proximos litigare, tunc expedit illos charitatib[us] componere, ne protracta lite, majori damno succumbant.

Munus ergo Episcopale est, ut principaliter spiritualibus, & secundariè temporalibus exercitiis, scilicet sedandis litibus, ubi posteriora prioribus non derogent, vacare debeant. In quo casu Episcopi, dum lites ex mero cha-

charitatis motivo componunt, utique etiam in hoc munere, bono Ecclesiæ cooperantur, & spirituali incremento; negari enim non potest, magnam esse imbecillitatem fidelium; quod nunc temporis minimulas quæstiunculas, absque jurgiorum, & litium copia decidere nesciant. Satius utique ipsis, si has causas ad religiosum aliquem probatae virtutis referentes, cum minori dispendio animæ, & corporis, studerent absolvere. Adde quod in Ecclesiæ ignominiam videtur reflectere, contendentes Catholicos, statim ad contentiosum forum recurrere, quasi non sit in Ecclesiæ sapiens, & probus, qui lites valeat componere,

## S E C T I O T E R T I A

*Itaque secundum Apostolum, indignè tibi usurpas,  
Tu Apostolicus officium vile, gradum  
contemptibilium.*

**A**Ctio debet esse accomodata gradui, & dignitati agentis; proinde videtur dissonum, & indecorum Episcopo, qui in Excelso gradu constitutus, non nisi urgentiora negotia debet pertractanda assumere, si velit etiam ad quascunque quæstiunculas discutiendas, se se quodammodo deprimere.

## S E C T I O Q U A R T A

*Unde, & dicebat Apostolus, Episcopum instruens:  
Nemo militans Deo, implicat se negotiis  
secularibus.*

**M**Ulti sunt Ecclesiastici, qui non militant Deo, sed Mundo: quæ autem conventio Christi ad Belial; malè se implicant cum Mundo, quos Deus specialiter segregavit à Mundo; ideo Christus, præsertim ad omnes Ecclesiasticos, sermonem suum dirigit his verbis: *Si quis mihi*  
*mini-*

*ministrat, me sequatur.* Christum autem sequi non potest, qui implicat se negotiis sacerdotalibus. Primum non esse dissonum, immo consonum muneri Episcopali, jam supra sanctorum Episcoporum exemplo comprobatum habetur; dedecet porro secundum, quod malum hodiæ in pluribus Ecclesiasticis transiit in morem; siquidem sub specie componendi lites, exercenda charitatis, & similium, quantum assidui sacerdotalibus rebus gerendis, tantum alieni ab Ecclesiæ bonis promovendis apparent; Profectò nemo verè militans Deo, implicat se negotiis sacerdotalibus, nisi quantum sacerdotalium negotiorum discussio, à fine promovendæ charitatis cohonestatur.

### SECTIO QUINTA

*Ego enim parco tibi, non enim fortia loquor,  
sed possibilia.*

**A**cmodat se temporum exigentiae discretus S. Bernardus, Eugenium instruens, quem in summo gradu constitutum, summa etiam perfectione (uti Pontificem decet) effulgentem cernere anhelans, ad meliorum charismatum æmulationem hortatur, quippe cui compertum erat, quod præceteris dignitate eminentem, etiam ad eminentem perfectionem, purioris vita studio opportet accedere, quam difficulter potest attingere, qui sacerdotalibus negotiis discutiendis semper immersus, nequit ad superiora spiritum elevare. Nihilominus parco tibi, ait: Siquidem noverat, aliquando nonnisi difficulter, ratione officii, liberum esse Pontifici, plenius contemplationi vacare. Posset tamen, qui vellet; non enim fortia loquitur S. Bernardus, sed possibilia; dum ad omnimodam abnegationem sacerdotalium curarum Pontificem, & in eo quenquam Pontificalia dignitate fulgentem hortatur. An non impossibile, quod & plures Pontifices Prædecessores summa ædificatione Ecclesiæ præstiterunt? Princeps Prædecessorum

forum suorum gloria facta tenetur æmulari, si gloriæ famam contendit acquirere, & licet fortia ei proponantur pro gloriâ comparandâ, debet eniti ut assequatur, quanto magis si possibilia. Quidquid humanis viribus possibil est, debet generosus Princeps, tanquam facile sibi propnere, & aggredi, ut in omnibus, sed præcipue in via virtutis, quadam æmulatione digna Principe, valeat fælicius progredi, & à quocunque subdito, in virtutum profectu discerni.

## S E C T I O S E X T A

*Putas ne hæc tempora sustinerent, si hominibus litigantibus pro terrena hæreditate, & flagitantibus abs te iudicium, voce Domini tui responderes: O homines quis me constituit judicem super vos.*

**P**lures sunt, qui vana quadam persuasione decepti, credunt præsentia tempora, haudquaquam posse aliter sustinere, quam pro eorum arbitrio, & juxta illorum sententiam. Credulitas hæc locum habet in illis, qui se in omnibus necessarios credunt, nec nisi ipsis promoventibus, sæcularia negotia opportunum exitum fortiri posse arbitrantur. Hæc credulitas est superbiæ filia, mater temeritatis. Idem munus, quod nunc tu imples, anteactis temporibus, alii te fortè melius adimplevere. Considera, quod si tu dignitatem, in quâ es constitutus, non occupares, utique non deessent aptiores, qui longè melius possent tuo munere fungi. Considera, quod fortè plus fortuna prævalente, quam merito, ceteris prælationem obtinuisti. Considera, quod etiam sine te regetur hæc Mundi machina, quam ante te, jam in optimo regimine constitutam nosti, in quâ tu non es, nisi umbra, pulvis, vermis, & cinis. Fortè arbitratur aliquis Episcopus, quod hæc tempora non sustinerent, si litigantibus pro terrena hæreditate Dioecesanis, ipse sua præstò non esset decisione,

&amp; con-

& consilio, sed ipso deficiente utique non deesset, qui aptius has causas pertractandas assumeret, si Episcopus ad se delatas remitteret, & responderet voce Domini sui; O homines quis me constituit Judicem super vos? non quia indignus ego, qui pastorali munere fungor, ut hujusmodi sacerdtales componam causas, ad me delatas remitto, cum & majoris momenti causas, scilicet spirituales valeam decidere, sed quia indignum judico, pastorem animarum saeculi actibus insistere, nisi quatenus Ecclesiæ utilitas postulat, qui potioribus debet occupari.

### S E C T I O S E P T I M A

*In quale tu Judicium mox venires? Quid dicit homo rusticus, & imperitus, ignorans primatum tuum, inhonorans summam, & præcelsam Sedem, derogans Apostolicæ dignitati.*

**S**TULTITIA saeculi, eò insipientius de alieno indicat, quò profundius se ipsam ignorat. Profectò nonnisi homo rusticanus, & imperitus novit effutire in virum prudentem, cum fungitur munere suo, sed vir prudens non debet moveri popularibus garrulitatibus, neque propter vaniloquia insipientium, cessare debet à debito virtutis officio. Vir probus non debet declinare à viâ rectâ, quia plebs rusticana, & imperita acuit linguam maliloquam: male sibi consulit, qui plebis vult se conformare dictamini.

Agere justè, quod justum est, ad prudentem virum spectat, quidquid effutiant rusticani, & imperiti, ignorantibus, quale sit Principis debitum, & ideo inhonorantes ejus recta judicia. In quale judicium venire possit apud ignoratos vir prudens non curat, sed quod sui muneris est, quod dignitatem decet, quod character requirit, quod justitia postulat, studet perficere. Quidquid contra sentiantur, Rusticani, & imperiti. Justum est hominem probum propter justitiam operari, non autem propter homines

nes justitiam postponere . Quis potest linguas cohibere : *Filiī hominū , denteſ cōrum , arma , & ſagittāe , & lin- guāe cōrum gladiuſ acutuſ* . Facile eſt linguam , in lubrico fauicium constitutam contrā alios labi , cui ſi frēna laxen- tur , ſāpē labitur contra ſeipſam ; ſed vir probus agit quod agit , neque curat quod onnes derogent , dummodō ſola conſcientia defendat .

## S E C T I O O C T A V A

*Et tamen non monſtrabunt puto , qui hoc dicent ;  
ubi aliquando quispiam Apoſtolorum judec-  
ſederit hominū , aut divisor termi-  
norū , aut diſtributor  
terrārum .*

**I**nvenio apud Sapientes : *Plin. Jun. lib. 4. Honestissimum*  
*effe majorum veſtigia ſequi , ſi modō rectō itinere pro-*  
*ceſſerint* . Cum ergo Apoſtoli nunquam ſederint , diſi-  
ſores terminorum , aut diſtributores terrarum , nullatenus  
Pontificiæ derogat dignitati , qui Apoſtolorum inhærens  
exemplo , plus conſiderationi vacare ſtuduerit , quām  
actioni . Attendant ergo Viri Apoſtolici , quorum ſint ſuc-  
cessores , & non vereantur facere ſecundum exemplar .  
Quod exemplo fit , hoc etiam jure fieri putant homines .  
Cum ergo Apoſtolorum exemplo comprobetur , Apoſtolici  
muneriſ , non tantum effe dividere terminos , diſtribuere  
terras , quām docere populos , infudare prædicationi evan-  
gelicæ , dilatandæ fidei , extirpandi vitiiſ , evelleſ abu-  
ſibus ; utique non erit dignitatis imminutor , qui tranſ-  
gredi noluerit terminos , quos posuerunt Patres ejus . In-  
teſim Apoſtolorum exemplo ſtudet S. Bernardus in hac cauſa  
movere , & ſuadere Pontificem ad ſtudium conſideratio-  
niſ , plusquam actioniſ , tum quia optimè noverat , verum  
effe quod ſcripsit : *S. Gregor. Paſtoral. Turpe eſt non im-*  
*mitati quod ſumus* . Tum quia Principibus Principum .

To. I.

O

exem-

exempla sunt proponenda , facilius enim eorum gesta emulantur , quorum sunt successores , & ad eorundem captivandum intellectum , in obsequium cujuscunque veritatis , validior est quacunque ratione , Prædecessorum exemplum . Tum quia hoc generi hominum propè à natura datum est , ut quā in familia laus aliqua fortè florerit ; hanc ferè qui sunt ejus stirpis , cupidissimè prosequantur . Et hoc triplici stimulo , debet unusquisque ad cathedram assumptus æmulari Apostolorum charismata , ut in omnibus exhibere se valeat , sicut Dei Ministrum . Exemplum enim Prædecessorum provocat posteros : Cic . 3 . de Orat . Duo maximè nos movent exemplum , & similitudo .

Quod autem dixit S. Bernardus : *Non monstrabunt, puto, qui hoc dicent, ubi aliquando quispiam Apostolorum Iudex steterit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum.* Nihil prorsus evincit contra Pontificiam autoritatem , ut videntur contendere Novatores , qui nonnisi in pravum sensum saniora Sanctorum scripta extorquere studuerunt . Certè Apostoli viventes adhuc in carne , non steterunt Judices hominum , quippe qui steterunt ante Reges , & Præsides , ut inter iniquos Judices , & iniquiores sententias , digni essent pro nomine Jesu contumeliam pati ; neque divisores fuerunt terminorum , aut distributores terrarum , cum in novella Ecclesiæ plantatione , non haberent locum in diversorio , aut ubi reclinarent caput ; tantum aberat , quod quærerent , ubi erigerent judicariam Sedem . Cum enim tunc magis expediret fidei dilationi , & Evangelii promulgationi insudare , quam Ecclesiæ Patrimonio promovendo insistere , aut componendis pro terrena hæreditate insurgentibus litiis incumbere , quia inaugurando hominibus regno Cælesti , superstitioni gentilium magis urgebat bellum indicere ; quid mirum si tunc primò despicerent Apostoli dividere terminos , distribuere terras , qui potius per orbem terrarum distribuendi erant , ut homines Ecclesiæ , per fidei propagationem acquirerent ; quibus jam acquisitis , post-

postquam exivit in omnem terram sonus eorum , & opportunum tempus accepissent ; noverant utique datam sibi à Christo facultatem judicandi homines , distribuendi terminos , dividendi terras , cum jam plantatæ Ecclesiæ utilitas , & incrementum has divisiones , & hæc judicia exposceret ; Quod , & præstisso ipsos Apostolos inficiabitur nemo , qui D. Petrum anathemate percutientem Anatianam , & Zaphiram , bona semel Ecclesiæ tradita , iterum , injustè repetentes animadverterit . Et Apostolorum gesta percurrens , plura inter fideles excitata jurgia , ab eorum judicio composita fuisse , & decisa : sicut & acquisitas substantias , ex oblationibus fidelium , pro eorum arbitrio inter fideles divisas fuisse compererit . Sed jam crescente numero Christianorum , videntes Apostoli æquum non esse Apostolicos Viros derelinquere verbum Dei , & hæc inferiora ministrare , considerarunt Viros boni testimonii , quos constituerunt super hujusmodi opera , ut ipsi Apostoli orationi , & ministerio verbi , esse possent instantes . Cum itaque Apostoli , plus spirituales , quam temporales causas discusserint , licet in utrasque data fuerit ipsis à Christo Potestas ; Apostolorum successores , ad eorum sequenda vestigia hortatur S. Bernardus illis verbis : *Non monstrabant puto &c.* Ceterum cum hæc tempora exigant Præfules , non solum considerationi , sed etiam actioni vacare , ut bene noverat jam suo Ævo S. Bernardus , ideo sumimum Pontificem , & in eo omnes Prælatos admonet , non totos se , nec semper dare actioni , sed considerationi aliquid , & sui , & temporis , & cordis sequestrare ; quibus verbis consonant , quæ jam superius præmiserat in fine Capitis quarti , ubi non rumpere , sed interrumpere externas curas , Eugenium hortabatur .

## SECTIO NONA

*Stetisse denique lego Apostolos judicandos, sedisse  
judicantes non lego; erit illud,  
non fuit.*

**H**ujus sessionis intellectum, satis exprimunt mox superiori Sectione dicta.

## SECTIO DECIMA

*Ita ne imminutor est dignitatis servus, si non vult esse  
major Domino suo; aut discipulus, si non vult esse ma-  
jor eo, qui se misit; aut filius si non transgreditur ter-  
minos, quos posuerunt Patres sui.*

**D**ignum se probat filium, qui proborum parentum non vult degenerare ab exemplo, sedula imitatione Prædecessorum facta commendans, à quibus se degenerem probat, qui factis eorum contraria operatur, duplice injuria, scipsum, & parentes afficiens, qui digna eorundem gesta imitari erubescit, uno & eodem actu reprobans aliorum virtutem, & ab eadem se declarans alienum. Non sine injuria Magistri, doctrinam potest reprobare discipulus. Gloriosus est Discipulo sapere cum prudenti Magistro, quam novitate doctrinæ, Magistri sui condemnare præcepta. Quisquis in Ecclesiastico gradu est constitutus, utique debet honorificare ministerium suum, tantum abest quod est debeat imminutor dignitatis. Veritatem hanc docuit Apostolus, quem similis zelus urge-re videbatur, cum dixit: *Ad Rom. 11. 3. Quandiu qui-  
dem sum gentium Apostolus, ministerium meum honorifica-  
bo.* Indignum se probat Ministrum, qui dignitati assumpta, debitum non studet servare decorem: sed quam methodum servarunt Apostoli, ut honorificarent ministerium suum, eandem debent sollicitè custodire, qui Apostolorum suc-

successores esse gloriantur . Porrò illi honorificabant ministerium suum , qui gloriabantur in carceribus abundanter , in plagiis suprà modum , in mortibus frequenter , non in divisione terrarum ; ergò neque imminutor erit dignitatis Episcopus , qui Apostolorum inhærens exemplo , noluerit transgredi terminos , quos posuerunt Patres sui . Sed si Episcopatum opus esse protulit Paulus , hinc forte quis contrarium ad hactenus dicta , evinci posse dictitabit , ut probet Episcopum plus actione , quām consideratione honorificare ministerium suum . Sed esto Episcopatum opus esse , porrò non est opus divisionis terrarum , sed opus prædicandi Evangelium , subveniendi infirmis , docendi ignaros , coercendi peccatores , sicut in hujusmodi operibus Apostolos , qui adeò honorificarunt ministerium suum , se se exercuisse compertum est ; qui secus fecerit , tanquam dignitatis imminutor corripietur à Domino , qui cum tempus acceperit , justicias judicabit .

## S E C T I O D E C I M A P R I M A

*Quis me constituit Judicem , ait ille Dominus , & Magister , & erit injuria servo , discipuloque , nisi judicet universos .*

**S**ensus est quasi dicat : Cornel. à Lapid. Hoc judicium est forensium , qui terrenam , non meum , qui cælestem bæreditatem doceo , & dispertior . Non ergo negat hic Christus , se habere potestatem judiciariam , ipse enim erat Rex regnum , & Dominus dominantium , sed eà hic uti noluit apud hominem cupidum , ut illi cupiditatem admireret , quæque mundi sunt , præ cælestibus contemnere , & terrenis ultrò cedere doceret . Benè terrena declinat , qui propter divina descenderat . Juvenem de quo agitur Lucas 12. ita affatus est Christus , ut doceret Ecclesiasticos , & spirituales viros , non debere sacerdicia tractare , sed divina , juxta illud : *Nemo militans Dco , implicat se negotiis*

*gotiis secularibus*. Id autem intellige, nisi pax, charitas, & pietas aliud exigant; quibus de causis olim Episcopi Fidelium lites dijudicabant, quemadmodum se fecisse testatur S. Augustinus *libro de opere Monachorum cap. 29*. Sicut autem Christus, ut potè Dominus dominantium, licet judiciariam habuerit potestatem, etiam cum nobiscum in carne visibili conversabatur, quia tamen venerat præcipue spiritualia tractatus in hunc mundum, dividere hæreditatem, quasi Judex forensis recusavit: ita etiam non erit injuria Christi discipulis, & Apostolorum successoribus, si à munere forensis Judicis, quantum poterunt declinabunt, ut quæ sunt in pastorali munere potiora, scilicet spiritualia, felicitus exercere valeant. Utique ad forensem inter Catholicorum animos charitatem, ad pacem conciliandam, ad avertenda dissidia, sèpè Episcopos litium compositores sedisse, supra pluribus testimonis probatum exhibuimus: quis enim negare audeat, Apostolicis viris, concessum esse judicare de terrenis, quibus datum est judicium in cælestia: *Nescitis, quia & Angelos judicabimus*, ait Apostolus; nihilominus ubi charitas non urget, satius est Episcopos spiritualibns, quam temporalibus causis discutiendis insistere, quâ de re rationem adducit S. Bernardus: *Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis, talibus insistere, quippe potioribus occupati,*

### SECTIO DECIMASECUNDA

*Mibi tamen videtur bonus estimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu Apostolicis viris non judicare de talibus, quibus datum est judicium in majora.*

**N**oscant seipso, noscant dignitatem suam Apostolorum successores, quibus datum est judicium in majora, & utique discent honorificare ministerium suum, semper potioribus scilicet spiritualibus causis promovendis

occu-

occupati, à temporalibus quæstiunculis, quò ad poterunt declinantes: *Non quia indigni vos*, idest non quia auctoritas vestra, supra sæcularia judicia se non extendat; potest enim, & de minoribus judicare, qui, & de majoribus judicium proferet, *seà quia indignum vobis*, scilicet quia derogare videntur suæ dignitati Apostolici Ministri, Ecclesiæ Præfules, si ad ea judicia declinent, quæ spiritualibus judiciis comparata, vix ullius momenti, à cordatioribus viris reputantur. Bonus ergo æstimator rerum, qui in Apostolicâ dignitate constitutus Apostoli inhærens vestigiis, se multiformis gratiæ Dei sedulum dispensatorem exhibere studebit, non terrenarum possessionum distributorem, nisi quatenus terrenorum dispensatio ad cœlestium acquisitionem ordinatur: ex quo colligitur quām recte senserit S. Bernardus, cui non videbatur bonus æstimator rerum, qui indignum putaret Apostolis, seu Apostolicis viris, & eorum successoribus non judicare de talibus, quandoquidem ipsis datum est in majora judicium.

## SECTIO DECIMATERIA

*Quid ni contemnat judicare de terrenis possessunculis  
hominum, qui in cœlestibus, & Angelos  
judicabunt.*

Vide quæ in antecedenti sectione sunt dicta.

## SECTIO DECIMAQUARTA

*Ergò in criminibus, non in possessionibus potestas vestra  
quoniam propter illa, & non propter has accepisti clau-  
ves Regni cœlorum, prævaricatores utique exclusi, non  
possessores: ut sciatis ( ait ), quia filius hominis habet po-  
testatem dimitendi peccata.*

**S**icut certum est judiciariam potestatem, etiam in sæcu-  
laria commissam esse à Christo Apostolis, eorumque  
suc-

successoribus, ità certissimum est, hanc potestatem illis fuisse à Deo concessam, quatenus ad bonum spirituale animarum conductus; neque aliter ab Episcopis judicia rerum sacerdotalium sunt suscipienda, nisi ut bonum spirituale promoveant, quo cessante motivo, Ecclesiastici sacerdotalia discutientes, fines alienos invaderent; potissimum enim in criminalibus, non in possessionibus versatur eorum auctoritas, idest in spiritualibus, non in temporalibus: sed quia sèpè expedit rerum temporalium ordinatio, ad bonum spirituale promovendum, imò ad hunc finem omnia, ut rectè ordinata sint, semper debeant ordinari: Hinc necèssè fore constat Ecclesiam, cui boni spiritualis promovendi cura incumbit, etiam ad sacerdtales causas discutiendas, posse propriā auctoritate, ipsi à Christo specialiter attributā se extendere, quā mediante valeat contentiosos possessores, qui ut plurimum sunt etiam simul, & semel prævaricatores, aut coercere, & componere, & cum Deo medià auctoritate clavum reconciliare, aut pertinaces, & incorrigibiles excludere à Regno cælorum, aut demum in judicio gravatos, & ad S. Sedis judicium appellantes reparare.

### SECTIO DECIMA QUINTA

*Quænam tibi videtur major auctoritas, dignitas,  
potestas, dimittendi peccata, an prædia  
dividendi? sed non est comparatio.*

**M**agna profectò Sacerdotalis dignitas, & clavum potestas, per quam quidquid ligatur, & solvitur in terra, ligatum & solutum habetur in cælis. Hanc potestatem dimittendi peccata, fuisse à Christo Ecclesiæ collatam, evincunt contra novatores Hæreticos, efficacissima argumenta, passim à Theologis adducta, ex verbo sacræ Scripturæ desumpta; comprobant testimonia Sanctorum Patrum, qui unanimiter veritatem hanc profitentur, inter quos

quos Sanctus Bernardus , de hac mirifica potestate , mellifluè suis in operibus differit. Sacerdos itaque Judex est , & tanto excellentior in sua potestate , quanto spiritualia excellentiora sunt temporalibus : proinde inter potestatem dimittendi peccata , & prædia dividendi non est comparatio : *in Ezech. lib. 2. Grandis dignitas Sacerdotum* exclamat S. Hieronymus ; & S. Chrysostomus *de dignitate Sacerdotis* *aspice dignitatem , agitur in terra , sed officium cœlestibus negotiis continetur ; non enim homo , non Angelus , non Archangelus , non aliqua alia creatura , non Virtutes , sed ipse Spiritus Sanctus munus instituit , atque adhuc manentes in carne , ministerio fungi præstithit Angelorum.*

## SECTIO DECIMASEXTA

*Habent hæc terrena , & infima Judices suos ,  
Reges , & Principes terræ .*

**C**onstituit Deus Reges , & Principes ad judicandum orbem terræ in æquitate , in his quæ omnino sacerdotalia , & terrena sunt , neque ullam cum spiritualibus connexionem habere posse præsumitur ; in exercitio autem potestatis judicariæ , Regibus , & Principibus à Deo traditæ , methodum servandam exprimit ipse Altissimus *Deuteronomii capite 16.* ubi etiam potentissimas poenas Potentibus , judicia recta non ferentibus minitatur . Principes ut bene judicent , non quod ipsi velint , & valeant , sed quid lex , & Religio exigant , semper suis in judiciis debent cogitare . Hoc autem attentè debent præcavere , ut sic incedant , nè limites sibi traditæ potestatis excedant . Meminerint proinde quotquot sedent in solio , utique Judices à Deo esse constitutos , sed causarum sacerdotalium , non Ecclesiasticarum , sed Laicorum , non Clericorum ; super infima & terrena valent proferre judicium , non super spiritualia . Confundantur , & revereantur , qui subver-

so ordine, à Deo pro Christianæ Reipublicæ optimo regimine constituto, trasgredi non erubescunt limites potestatis, sibi à Deo traditæ, & Ecclesiasticas causas ad sæcularia tribunalia audent evocare. Quid falcem suam in Ecclesiæ messem extendunt? Quid fines Ecclesiasticæ potestatis invadunt; impium utique facinus, à quò non modò Catholici, sed etiam hæretici Reges abhorruerunt. Legimus piissimum Constantiū Imperatorem, in Religionis Articulo, à Donatistis arbitrum electum, recusasse judicium proferre in causâ, cujus discussionem ad solam Ecclesiam spectare spectatissimum habuit; sed quid Christianorum Regum exempla proferre juvat, cum ipsorummet Gentilium Principum, veritas hæc comprobetur Testimonio. Aurelianus Imperator, licet Gentilis, in quâdam controversiâ circa Samosatenum Episcopatum exorta, rescripsit ad Romani Patriarchæ judicium recurrentum fore, ipsiusque iudicio omnino acquiescendum. Rex Theodoricus Arianus, calumnias contra Simmacum Pontificem, à malevolis contextas, & ad eundem Theodicum delatas, protinus Episcoporum examini, cognitioni, atque iudicio remisit; dato illo adeò celebri, & memorabili responso calumniatoribus: *Nihil ad se de Ecclesiasticis negotiis, præter reverentiam pertinere.* Esto ergò Reges, & Principes esse à Deo Judices constitutos, sed tantum ad hæc infima, & terrena extenditur eorundem potestas; ad quam amittendam nullus facilior aditus, quam in eadem potestate usurpatus excessus; ad quam reparandam, roborandam, & promovendam, non facilita suppeditunt, Principibus media, quam si studeant Religionis augmento; & Ecclesiastice jurisdictionis indemnitati: *Agap. Pontif. in monit. ad Justin. Imper. Non aliis est imperii vestri beatior proven-  
tus, quam Religionis augmentum.*

## SECTIO DECIMASEPTIMA

*Quid fines alienos invaditis, quid falcem vestram  
in alienam messem extenditis?*

**M**aximi momenti negotium est, nutrire concordium inter Sacerdotium, & Regnum, quæ semper in Christiana Republica desideratur, semperque florebit, si Principes fines Ecclesiæ nunquam invadent, vel Ecclesiastici, falcam suam in alienam messem nunquam extendant. Apostolici viri, ut pacem nutrient inter Sacerdotium, & Regnum, imitari debent in judiciis suis Apostolum dicentem ad Corith. *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos.* Hæc messis illa, ad quam debet falcam suam extendere vir Ecclesiasticus, cum ad causas discutiendas accedit, ut apparet, solius boni spiritualis promovendi desiderio, illa judicia exercere, quæ potestatis sacerularis magis propria, in se præcisè spectata, esse videntur. Et tunc solum ad Ecclesiasticum forum devolvere intelliguntur, quando spirituali lucro connexa esse comprobantur; quo cessante motivo, certum est non expedire Ecclesiasticum virum, causas in quibus de jure temporali tantum agitur, & de transitorio lucro, discutere, quod si nihilominus perficere attentat, tunc proculdubio falcam suam in alienam messem extendit, & fines alienos invadit. Non autem sufficit Ecclesiastico viro, in pertractandis causis, à sancto fine moneri; nisi simul, & semel studeat in actionibus suis, ità se gerere, ut laicorum oculis finis ipse rectus, pius, & intentus appareat: *S. August. Epist. 154. Cum tempora idola, & si quid ejusmodi data potestate revertuntur, quamvis manifestum sit, cum id agimus, non ea nos honorare, sed detestari; ideo tamen in usus nostros privatos, non debemus inde aliquid usurpare, ut appareat nos pietate ista destruere, non avaritia.* Hæc Augustinus, qui adeò cautos voluit Ecclesiasticos Juges in sua potestate, etiam in causis merè spiritualibus, quanto magis simili cautela præmuniti incedere debent;

dum causas temporales, cum jure spirituali permixtas discutiunt, *ut appareat* non fine temporali, sed spirituali, ad hæc judicia exercenda moveri; *ut appareat* non lucro impellente, aliquando ad hæc terrena discutienda descendere, *ut appareat*; non enim spirituale propter tempora-le, sed tempore propter spirituale promovendum est. Zelus enim excitans Præsules ad temporalium defensio-nem, si spirituali lucro non sit subordinatus, & ad fi-nem salutis animarum non sit directus, nullatenus apud Deum est commendabilis, imò tanquam invasio alieni fi-nis, & immissio falcis in alienam messem, meritò reproba-tur. Nemo ignorat Regem Regum Christum liberum fu-is-se à solutione didracmatis, sed quia noverat Christus, Imperatorem Romanum consueuisse ab omnibus sui Regni incolis, didracma exigere, didracma dare non recusavit: Dedit proindè, sed non solvit, quia qui tributo subditus non est, non solvit: hinc Christus ad Petrum: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte amum, & cum pescem, qui primum ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies flateram, illum sumens da eis pro me, & te.* Dedit itaque didracma, ad cujus solutionem non tenebatur, ne fieret scandalum in populo, sed ità dedit, ut potius immunitati suæ prospiceret, non enim dixit *solve, sed da:* non ergo solvit, sed dedit: prudenter se-gerit, qui spontè donat, quod sine bonis conditionibus, sine animi pace, sine vexationibus spiritus, retinere non potest; Christi inhærentes exemplis Ecclesiastici proceres, ut charitatem foveant inter regnum, & Sacerdotium, pru-denter se gerunt, cum ad evitanda scandala, etiam aliquan-do dant, quod solvere non tenentur. *Quid est quod Christus iussit, & gessit: Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris Cæ-sari, quæ sunt Dei Deo.* Qua eruditione voluit divinus Magister Ecclesiasticos viros edocere, ut quantum pos-sent, à sacerdotalibus negotiis abstinerent, ut præcipuè super spiritualem progressum invigilarent, ut fines alienos non invaderent, ut falcem suam in alienam messem non im-mit-

mitterent, & demum, ut manente utrâque potestate sacerdotali, & Ecclesiastica intra limites suos, nullatenus inter Regnum, & Sacerdotium orirentur dissensiones, & iuria, sed unanimi charitate concordes viverent Seculares, & Ecclesiastici proceres; cum Regnum sine Sacerdotio non valeat prosperari, nec Sacerdotium sine Regno, tam facilè possit dilatare terminos suos. Meminerint Reges illius aurei moniti: *S. Augustin. lib. 2. In hoc serviant Reges Deo, si in Regno suo bona jubeant, & mala prohibeant;* Non enim Princeps debet dominari, sed ratio. Reges enim à rectè agendo vocati sunt, ideoque rectè faciendo regis nomen tenetur, peccando amittitur. *Non alius est Imperii vestri beatior proventus, quam Religionis augmentum.* Sed etiam Sacerdotium aliquando indigere regni adminiculò, testatur inter alios SS. Patres Isidorus, qui in suo notabili Canone scripsit: *Sæpè per Regnum terrenum, cælestè Regnum proficit, ut disciplinam, quam Ecclesia humilitas exercere non prævaleat, cervicibus superborum, potestas principalis imponat.* Hinc aliquando novimus potiores hæreses, non modò anathematum fulminibus, sed una simul adhibitis Principum gladiis, fuisse interemptas. Ex quo patet necessitas fovendæ concordiæ inter regnum, & Sacerdotium; quæ non melius promovetur, quam si utræque potestas Regni, & Sacerdotii, contineatur intra limites suos, nec falcem immittat in messem alienam.

## S E C T I O D E C I M A O C T A V A

*Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus  
inſtare, quippe potioribus occupati.*

**Q**Uæ super hæc verba consideratione indigent, jam satis expressa habentur, Sectione decima, undecima, & duodecima.

## SECTIO DECIMANONA

*Denique ubi necessitas exigit; Audi quid censeat non ego,  
sed Apostolus, si enim in vobis judicabitur  
hic mundus, indigni estis, qui de  
minimis judicetis?*

**U**bi necessitas exigit, idest ubi Præsules ad bonum spirituale promovendum, necessè fore compererint, etiam temporales discutere causas, hoc proculdubio non modo possunt, sed debent tota charitate perficere; quomodo enim non valeat eorum auctoritas, ad causas temporales discutiendas se extendere, quibus, & causarum spiritualium est a Deo commissa discussio. Quapropter dicit Apostolus: *Si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis judicetis?* ac si diceret, quis negare audeat vobis commissam esse potestatem judicandi terrena, quibus, & cælestia judicandi data est a Deo potestas: quem sensum approbat eruditissimus Cornelius à Lapide, præfata D. Pauli verba explicans: *Cornel. à Lap. ep. 1. ad Cor. 6. Si per vos Christianos & Sanctos judicabitur totus Mundus, quanto magis per vos, quasi Arbitros, minimæ vestiræ lites componi debent.*

## SECTIO VIGESIMA

*Sed aliud est incidenter excurrere in ista, causa quidem urgente, aliud ultrò incumbere istis, tanquam magnis, dignisque, tali, & talium intentione rebus.*

**P**raelatorum zelus, qui ad solius boni temporalis defensionem extenditur, non est commendabilis, neque unquam compertum est, hujusmodi zelum alicui Ecclesiastico conciliasse laicorum obsequium. Utique commendabile est Episcopum intueri, qui Ecclesiæ jura vindica-

dicare conatur contra oppressores ; sed interim si Episcopus , quem similis urget zelus , in Dioecesis suæ perlustratione sit desidiosus , si erga pauperes non sit misericors , si ad peccatorum conversionem debitam non adhibeat sollicitudinem , si in beneficiorum distributione digniores non præferat , & similia , quæ muneris Pastoralis sunt , sollicitè non exequatur ; quasi totam pastoralem sollicitudinem , in bonorum temporalium manutentia constituens , ultrò istis incumbens , tanquam magnis , dignisque tali , & talium intentione rebus , & non potius incidenter in temporalium cura excurrens , causa quidem urgente , ut feriò in spiritualium sollicitudine occupetur , utique ministerium suum non implet , cum muneris Episcopalis sit , primariò spirituale bonum promovere , & temporale lucrum ad spiritualis boni incrementum ordinare : *Aliud itaque est incidenter excurrere in ista , aliud ultrò incumbere istis , tanquam magnis , dignisque tali , & talium intentione rebus.* Porro ultrò incumbunt istis , tanquam magnis , dignisque tali , & talium intentione rebus , qui alacres currunt ad cathedram , non ut vigiles reperiantur ad curam , sed ut invigilant implendis marsupiis , non vitiis extirpandis ; qui hujusmodi sunt , sortiti sunt quidem Apostolorum locum , non zelum , successores gloriantur esse , sed imitatores nullatenus possunt nuncupari .

## S E C T I O V I G E S I M A P R I M A

*Itaque hæc , & innumera talia dicerem , si fortia  
dicerem , si recta , si sincera .*

**A**D muneris Episcopalis complementum , tot tantaque requiruntur , ut penè innumera dicenda forent , si quis sincerè de omnibus , vellet sermonem instituere : omnia tamen colligere mihi videtur Apostolus his verbis : *Ep. ad Titum 2. Opportet Episcopum irreprohensibilem esse :* ex quibus constat , non modo Episcopum debere ab omnibus

bus vitiis se immunem custodire , sed omnium virtutum complexum , in se uno debere perstringere : utique innumerā , utique fortia diceret , qui de his omnibus vellet differere .

## C A P U T S E X T U M

### S Y N O P S I S .

*Docet Prælatum debere super omnia vacare considerationis, sive pietatis studio; id est considerationis studium, in omnibus, & per omnia actioni præferendum. Quid sit consideratio, & quales sint considerationis fructus, atque effectus multiplices docet, præmissa ejusdem pietatis, sive considerationis descriptione.*

## S E C T I O P R I M A

*Nunc autem quoniam dies mali sunt.*

**D**ierum malitia pro humana malitia accipitur, à quā quodammodo dies ipsi coinquinati dicuntur; sed si hoc detrimentum ab humana malitia, dies patiuntur, & tempora, quanto magis per quorundam Ecclesiasticorum depravatos mores, dies mali erunt, ex quorum vita, ut par esset, virtutibus addicta, deberent potius dies aurei expectari. *Dies utique mali sunt*, hisce temporibus, quibus videre est plures Ecclesiasticos, qui totum zelum exercent, pro solius boni temporalis conservatione, & augumento, atque ne minimum in hoc detrimentum patiantur, animas eorum curæ commissas negligunt, vitia pululare permittunt, scandala non avertunt, abusus non exterminant; satisfecisse arbitrantes ad Christi cultum promovendum, & ad exterminandam dierum malitiam, si bona temporalia servaverint, quæ Christum potius despixisse evincitur, cum dixerit: *Regnum meum non est de hoc*

*Mun-*

*Mundo.* Dies mali sunt , quibus videre est etiam Ecclesiasticos viros , plus Principibus terræ , quam Regi Regum famulari , magisque assiduos circa ea , quæ Cæsar is , quam quæ Dei sunt invigilare , parentum incremento , non pauperum subsidio studere ; qui demum habent ad manus , quibus animas sibi commissas custodiendas tradant , cui autem suas facultates committant , non inveniunt .

## S E C T I O S E C U N D A

*Sufficit interim Admonitum esse , non totum te , nec semper dare actioni , sed considerationi aliquid tui , & cordis , & temporis sequestrare .*

**Q**uid ni valeant Episcopi inter Pastoralia officia aliquid sui , & temporis considerationi sequestrare , cum plures Imperatores , & Reges , inter vastissimum ditionum gubernia , atque sollicitudines , hoc perfecisse legamus . Certum utique est omnem excessum vitiosum esse , & virtus ipsa , si medium non servat , in vitium declinat . Sicut non est commendabile Episcopum adeo considerationi vacare , ut ab omni actione abstineat , ita reprehensibile foret , si ita se daret actioni , ut omnino considerationem negligeret : juxta temporum , & necessitatis exigentiam , debent Præfules actionem consideratione , & considerationem actione compensare . Pullulant forte inter Diœcesanos rixæ , & dissidia , quæ facili negotio possit Episcopus sua auctoritate componere , & periculum esse constat in morâ , quod parva scintilla neglecta , magnum possit fuscitare incendium : jam commendabile est Episcopum in hac , & simili de causâ , actionem considerationi præponere , & contendentium animos conciliare : *S. Ber. ser. 55. ad Cantica. Contemplationis quies pro lucro animarum , libenter intermittenda est .* Ex quâ S. Doctoris sententia colligitur , qualis ejus mens fuerit , dum Eugenium , & in eo omnes Prælatos , ad studium considerationis hor-

To. I.

Q


tatur ,

tatur, non enim docet Præfulus, omnino ab actione vacare, sed reddere identidem se ipsos sibi & actionis laborem, sanctæ contemplationis otio alternare suadet; sciens utique, quod qui ad opus ministerii Pastoralis tenetur, tantis proculdubio reus esset, quantis ad ipsum venientibus, prodesse potuisset, & prodesse despexisset, ut soli considerationi incumberet. Pastor est Episcopus, invigilet super oves suæ fidei commissas ad illarum custodiam, & salutem, Pascat subsidio, Pascat consilio, sed ita pascat, ut dum aliis pascua providet, ipse non esuriat, nec seorsim stet sitiens, sed etiam bibat de fonte illo pietatis, ad quem oves reducere satagit. Pietatem docet, pietati, & ipse incumbat, ut non minus pietatem doceat verbo, quam exemplo; hinc fiet, *ut se nec totum, nec semper det actioni, sed considerationi aliquid sui, & cordis, & temporis valeat sequestrare.*

### S E C T I O T E R T I A

*Hoc autem dico necessitatem intuens, non aequitatem,  
quamquam non sit præter aequum  
necessitati cedere.*

**N**ecessitati aliquando cedendum ratus S. Bernardus, Pontificem hortatur, non se totum actioni, nec se totum considerationi dare, sed partim actioni, partim considerationi vacare, sic exigente temporum necessitate: quamquam si Apostolici viri status, in se absolutè spectetur, magis consonum foret, plus considerationi, quam actioni incumbere, hucque collimant subsequentia verba.



## S E C T I O Q U A R T A

*Nam si licet, quod deceret, absolutè per omnia, & in omnibus præferendam, & vel solam, vel maximè colendam eam, quæ ad omnia valet, idest pietatem, prorsus irrefragabilis ratio monstrat.*

**C**onsiderationem actione esse digniorem, Christus ipse expressit exemplo duarum sororum, quæ eundem hoipitio receperunt, quarum una actioni, considerationi altera intenta; hæc præ illâ altius à Domino meruit commendari: sic dicente ei Christo: *Maria optimam partem elegit; sed & ex iisdem considerationis effectibus, quos abundè in fine hujus Capitis recenset S. Bernardus, irrefragabiliter constat præferendam, & præcipue colendam eam, quæ ad omnia valet pietatem.*

## S E C T I O Q U I N T A

*Quid sit pietas queris? vacare considerationi.*

**M**Ultipliciter accipitur pietas, aliquando enim pro actibus misericordiae, aliquando pro affectu patrum in filios, vel filiorum erga parentes, sed sæpè numero pro cultu Divino, & æternarum rerum consideratione usurpatur. Sic D. Augustinus lib. 10. de Civ. Dei, pro Dei cultu accipi testatur. Sicut secunda Petri, pro legitimo, & spirituali Dei cultu assumitur, & ex pietate sic accepta, facilè inter pios, & impios, quale discrimin intersit colligitur. Considerationem itaque pro pietate hic accipit S. Bernardus: nomine autem pietatis in actu exercito, animum Dei cultui intentum intelligit. Quod cum præcipuum sit munerus Sacerdotalis; hinc summum Sacerdotem, nempè Pontificem, & in eo omnes Prælatos, imò omnes Ecclesiasticos Viros, ad considerationem hor-tatur, ex cuius frequentiori studio, debent præ cæteris

Religiosi à sacerdotalibus discriminari. Abundantius autem ex sequentibus, sub quo sensu de consideratione sermonem instituere intendat S. Bernardus, colligitur; ubi ejusdem considerationis partes, munia, effectus, & utilitates exponit. Multipliciter enim accipi potest consideratio, sicut & de pietate supradictum est. Consideratio siquidem, aliquando pro contemplatione, cogitatione, & meditatione usurpatur, licet hæc omnia, etiam ad invicem discerni doceat S. Thomas 2. 2. qu. 180. art. 3. Cæterum consideratio genericè sumpta, potest definiri: *Operatio intellectus, vel processus rationis ex principiis pertingentibus ad contemplationem veritatis.* Consideratio autem à Syderum contemplatione dicitur, ex quo considerans is est, qui agenda considerat.

### S E C T I O   S E X T A

*Dicas forsan in hoc dissentire me ab illo, qui pietatem definit cultum Dei. Non est ita, si bene consideras, illius sensum meis expressi verbis,  
Et si tamen ex parte.*

**H**æc sententia saepius his verbis citatur à D. Bernardo, & ex Scriptura petitam, haud obscurè indicat; sed ægrè invenies, nisi adhibitis aliis translationibus, sicut & de pluribus aliis, à S. Bernardo, & à Sanctis Patribus, sacræ Scripturæ citatis sententiis constat, quæ ab iisdem Patribus referuntur, non ad verbum Vulgatae æditionis, sed pro ut sonant, juxtâ varias translationes. Itaque quod Pietas sit *vacare considerationi* legitur apud Job 18. vers. 28. Juxta Septuaginta Interpretes, ubi eodem loco Vulgata legit: *Ecce timor Domini ipsa est sapientia.* Hinc colligere juvat, quam versatissimus in sacræ Scripturæ paginis esset S. Bernardus, qui adeò familiare habuit in suis operibus Scripturæ testimonium, & quamcunque ejusdem verbi Dei scripti versionem. Quà propter, juxtâ versionem

nem Septuaginta , afferit sectione antecedenti , pietatem esse *vacare consideratiōni* , atque in suo aserto , se à verbis Job 18. vers. 28. non dissentire profatur , ubi pietas pro Dei cultu accipitur , quod & confirmat sequentibus verbis .

## S E C T I O S E P T I M A

*Quid tamen tam pertinens ad cultum Dei , quāmquod ipse hortatur in Psalmo : Vacate , & videte , quod ego sum Deus ? Quod sānū in partibus Considerationis præcipuum est .*

**P**RÆCIPUUM Considerationis munus esse vacare Deo , afferit S. Doctor , cum autem Dei cultui vacare officium sit Pietatis , Pium esse vacantem considerationi asseruit ; juxta prolatum sacræ Scripturæ testimonium .

## S E C T I O O C T A V A

*Quid denique , tam valens ad omnia , quām quæ ipsius quoque actionis partes , benignā quadam præsumptione suas facit , peragendo quodammodo , & præordinando , quæ agenda sunt .*

**V**IDIMUS supra Sanctum Bernardum , hortantem Pontificem , plus considerationi , quām actioni insistere , nunc autem de hoc hortatu rationem adducens , significat bonam non esse actionem , quam consideratio non prævenit , ipsiusque actionis partes , quodammodo considerationis præordinantis proprias esse ostendit . Actio , quam consideratio non prævenit , non est actio humana , sed actus hominis , à brutorum actione vix discrepans . Homo sapiens , omnem actionem consideratione multiplici prævenire conatur : *S. Bern. Serm. 37. in Cant. Spiritualis homo omne opus suum terna quadam consideratione præveniet ; prius quidem , an liceat , deinde an deceat , postremò an*

*expē-*

*expeditat: Cic. 2. de inventione. In omnibus negotiis, prius quam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens. In omnibus quid tempora petant, aut personis dignum sit semper considerandum. Irrefragabilem verò rationem necessitatis, præveniendi actionem consideratione, exponit S. Bernardus, dicens.*

### SECTIO NONA

*Necessariò sane, ne fortè, quæ & prævisa, & præmeditata poterant esse proficuò, præcipitata magis periculo fiant, quod tibimet, si recordaris, in ipsis actionibus causarum, & in magnis quibusque negotiis, magnarumve consiliis rerum, frequenter accidisse non ambigo:*

**A**rs artium est regimen animarum; ideo meditatoris, sive considerationis studium, quotquot regendis animabus præficiuntur, adeò necessarium inculcat Sanctus Bernardus, ne fortè quæ & prævisa, & præmeditata poterant esse proficuò, sine præveniente consideratione, magis periculo fiant. Nihil deterius in arduis negotiis celeri deliberatione: *Seneca in Epistola: Sapientis est examinare consilia, & non citò faciliter credulitate prolabi.* Difficilè est prudentem deliberationem, sine præveniente consideratione suscipere: non enim, qui celeriter deliberant, quæ magis expedient semper deliberant; unde dicebat Philosophus: *Arist. In arduis negotiis deliberandum est lentè.* Et alibi: *Opporet eos, qui magnis de rebus consultant, nullam ulla de causâ cogitationem prætermittere.* Quæ cum ita sint, meritò idem Philosophus increpatus est Athenienses his verbis: *Cum deliberare naturâ ipsâ difficile sit, ac grave; vos ipsum adhuc multò gravius reddidisti Athenienses, nam reliqui omnes homines, ante rem, rerumque eventum, deliberatione uti consueverunt, at vos post res, tum demum deliberatis.* Cum ergo consideratio quodammodo præveniat, & præordinet quæ agenda sunt, ipsiusque actionis par-

partes, benignâ quâdam præsumptione suas faciat, sollicitè S. Bernardus, necessitatem præveniendi actionem consideratione, docet Eugenium. *Sinè qua, quæ, & prævisa, & præmeditata poterant esse proficuò, præcipitata magis periculo fuent.* Tum maxime, cum de magnis negotiis res agitur: ad rem memorabile illud cujusdam Philosophi effatum: *Bias: Considera, & postea rem aggredere: aggredere tardus agenda, aggressus age constans.* Omnibus, sed præcipue Principibus, necessarium foret insitum hoc documentum.

## S E C T I O D E C I M A

*Et primum quidem ipsum fontem suum, idest mentem de quâ oritur, purificat consideratio: Deinde regit effectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat, postremò divinarum, & humana- rum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa discrimi- nat, labentia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta, & fucata ex- plorat. Hæc est, quæ agenda præordinat, acta recog- itat, ut nihil in mente residueat, aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est, quæ adversa præsentit, in aduersis quasi non sentit, quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiae est.*

**C**onsiderationis effectus, hic perstringit S. Doctor, ejusdemque mirabiles proprietates describit, de quibus effectibus, & proprietatibus prolixè agunt plures Ascetici. Videndus proindè Jacobus Alvarez tom. 3. oper. spirit. lib. 1. part. 3. cap. xi. & seq. Ludovicus Pont. Duc. Spir. tract. 2. cap. 1. & sequen. Ludovicus Granata de Orat. & Medit. Itaque cum in præfatis, aliisque operibus abundè possint, considerationis mirabiles effectus rimari: quidquid hic, de considerationis studio subdi posset, silen- tio datà operâ prætermittitur, ut ex præstantissimorum viro-

virorum operibus, abundantius, & suavius colligatur. Cæterum, cuicunque saluberrimo considerationis studio vacare cupienti, insitum esse debet illud memorabile D. Gregorii monitum: *S. Greg. lib. 5. Moral.* *Mens nostra ad contemplanda interna non perducitur, nisi ab his, quæ exteriorius implicant studiosè subtrahatur: mens nostra nullo modo ad viam contemplationis intimæ rapitur, nisi studiosè prius, à terrenorum desideriorum tumultu sopiatur.* Siquidem nunquam commotioni contemplatio jungitur, nec prævalet mens conturbata conspicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare, quia nec Solis radius cernitur, cum commotæ nubes cæli faciem obducunt, nec turbatus fons resipientis imaginem reddit, quia quo ejus unda palpitat, eò in se speciem similitudinis obscurat. Ideò S. Bernardus, dum Eugenium ad considerationis studium hortatur, eundem, ab exterioribus occupationibus, identidem abstine-re docet: *S. Greg. lib. 6. moral.* *Sæpè enim, qui contemplari Deum quiete poterant, occupationibus pressi ceciderunt.*

## C A P U T S E P T I M U M

### S Y N O P S I S

*De quatuor Virtutibus Cardinalibus incidenter, occasione, arrepta ab ipsius considerationis effectibus, sermo instituitur in hoc capite; cum enim ex pietate, & consideratione pulcherrima virtutum armonia, & connexio oriatur, qualiter quatuor Virtutes Cardinales sint ad invicem, connexæ, ostendit S. Doctor, & quia communiter dicitur de quaunque virtute, in medio virtus, de quatuor virtutum meditullio, ibi etiam differit, agens de earundem complexu, connexione, atque coherentia in modo, & medio; quomodo se habeant ad modum, & medium, ut omnes quasi una virtus videantur. Cum ergo beneficio considerationis, virtutum notitia acquiratur, ad considerationis studium, Eugenium excitat.*

S E-

## SECTIO PRIMA

*Ibi etiam est advertere suavissimum quemdam concentum, complemendumque virtutum, atque alteram pendere ex altera.*

**V**irtutes Cardinales, de quibus specialiter hic sermo instituitur, ita mutuum sibi præstare videntur famulatum, ut unam ex altera pandere facile sit animadverte-re; siquidem efficacia justitiae est à fortitudine, possessio à temperantia, modus à prudentia, quo virtutum complexu opus habet, quisquis studet ita vivere inter humanae vitæ ambages, & fluctus, ut vitare valeat Scyllam, & Charybdim; quapropter Sanctus Bernardus, ad rem sic disserit: *tract. de convers. ad Clericos.* Opus est fortitudine adversus tentamenta peccati, opus est justitia, ut operemur bonum, opus est prudentia, ne cum fatuis virginibus repro-bemur, opus est temperantia, ne voluptatibus indulgeamus. Hunc Virtutum Cardinalium complexum, significant etiam plures SS. Patres. Audiatur S. Hieronymus in ep. Omnes virtutes sibi ita cohærent, ut qui una caruerit, omnibus careat, qui ergo unam habet, omnes habet. Loquitur autem ibi S. Doctor de virtutibus in statu excellenti; quod clarius exprimit S. Gregorius in Moral. *Sicut quibusdam visum est*, ut de primis quatuor virtutibus loquar, Prudentia, Temperantia, Fortitudine, atque Justitia, quanto perfectæ sunt singulæ, tanto sibi sunt conjunctæ, disjunctæ autem perfectæ esse nequaquam possunt, quia nec prudencia vera est, quæ justa, temperans, & fortis non est, nec temperantia perfecta, quæ fortis, justa, & prudens non est. Et alibi ad rem sic est affatus: S. Greg. Homil. 29. in Ezech. Mensuretur perfectorum vita per quadrum, & tantum habet spiritualis atrii latus unum, quantum late-ra singula, quia unusquisque tantum prudens est, quantum temperans, fortis, & justus, tantum temperans, quantum prudens, justus, & fortis fuerit. Ex his ergo, & similibus,

To. I.

R

quæ

quæ de virtutum complexu eruditissimè scribunt SS. Patres, advertere est suavissimum quemdam concentum, complexumque virtutum, atque alteram pendere ex altera; ex quo complexu quisquis virtutis metam attingere satagit, & currit in stadio, ut assequatur, hac utilitate fulcitur, ut omnes unanimiter possit in seipso unire virtutes; ubi è converso, nemo licet improbus, potest omnibus vitiis simul, & semel coinquinari: nullus enim est inter omnia via complexus, cum imò plura se invicem excludant, dicente Philosopho: *Arist. lib. 2. Ethic. cap. 8.* *Quedam via sunt sibi invicem contraria:* exempli gratia, neminem dabis simul avarum, & prodigum. Ubi virtutes omnes, cum sint homogeneæ, possunt unanimiter possideri. *Quia suavissimum quemdam concentum, complexumque efformant,* cum altera pendeat ex altera.

## S E C T I O S E C U N D A

*Sicut hoc loco vides, fortitudinis Matrem esse prudentiam, nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturivit prudentia.*

**V**eritatem hanc perspectam habuit Isocrates, qui de fortitudine scripsit: *sermon. admonit. ad Democrit.* *Fortitudo cum prudentia quidem juvit, sine vero bac, magis habentes læsit.* Nec aquo sine freno, nec fortitudine sine prudentia, tutò quis uti potest. Prudentia si quidem virtutum princeps est, atque ipsarum modum, ordinem, & opportunum exercitium, tamquam oculus quidam mentis undequaque lucidissimus ostendit: denique, ut paucis omnia complectar: *Gubernatrix est hominum, & omnis inter ipsos constitutionis Princeps, quin etiam civitates, & familias, privatamque hominum vitam, ad exemplar divinum referens, quæ potest optima similitudine depingit, hoc delet, illud inscribit, utrobique assimilationis modo studens: meritò igitur Deo similes facit sui possessores pru-*

*prudentia.* Hæc *Jamblicus* in prudentiæ laudem, quam cæterarum virtutum Matrem esse meritò dixit S. Bernardus, qui optimè noverat, nemini virtutis usum, absque prudentia utilem esse, neminemque procul à prudentia posse, aut publicis, aut privatis in rebus, boni viri officium adimplere: dicebat Bion: *Prudentiam tanto cæteris virtutibus antecellere, quantò cæteris sensibus præstaret visus,* nam oculi præludent toti corpori, nec ulla est virtus absque prudentia; quinimò nullam absque prudentia comite virtutem esse commendabilem constat. Fortitudo enim, absque prudentia declinat in temeritatem, è converso prudentia comite invalescere, continua comprobat experientia. Commendabilius esse prudentia, quam viribus hostes superare, innuit Plutarcus, referens quod Archidamus cum bello Archadas superasset, ob id laudatus à quodam: *Bion. apud Laert. lib. 4. cap. 17. Præstantius erat, ( inquit ) si illos prudentia, quam viribus superaffemus.* Celebratur etiam illud Euripidis dictum: *Unicum consilium rectum, magnam militum manum vincere:* quo celebri asserto admonuit, non perindè referre, quam numerosum educat Princeps exercitum, sed quam prudentes sint exercitus duces. In bello siquidem longè plus habent momenti prudentia, & solertia, quam vires consilii expertes, quæ ut plurimum, sine præveniente prudentia, in temeritatem declinant. Opus itaque prudentia cuicunque, sed illis præcipue, qui ut aliis præsint sunt constituti: *Plutarc. Sicut enim non debet sumere cytharam, qui canendi sit imperitus, ita non debet imperium sumere, qui non sit prudentia præditus.*



## SECTIO TERTIA

*Hæc item est, quæ inter voluptates, & necessitates, media, quasi quedam arbitra sedens, utrinque certis limitibus determinat fines; istis assignans, & præbens quod sat est, illis quod nimis est demens.*

**P**RUDENTIA nomen sumit à providentia, tanquam à principaliore ejus parte. Ad hujus excelsæ virtutis acquisitionem, discipulos suos enixè hortabatur S. Augustinus ad Erem. serm. de Prud. *Prudentia nobis necessaria, quæ docet quid faciendum, & quid tenendum sit: Prudentia docet te, ut in cunctis idem sis, tam in prosperis, quam in adversis; sicut manus, quæ eadem est cum in palman extunditur, & in pugnum restringitur; ipsa te docet quomodo reprehensibilis sit nimia laudatio, & immoderata viteratio, illa quidem adulazione, ista suspecta malignitate. Prudentia docet quomodo præsentia ordines, præteritorum recorderis, & quotidie futura provideas.*

## SECTIO QUARTA

*Et sic ex alterutro tertiam formans virtutem, quam dicunt Temperantiam, nempè intemperantem ipsa consideratio censet, tam cum, qui necessariis pertinaciter demit, quam qui indulget superfluis.*

**I**N utræque parte sustinebit maximum detrimentum, quisquis inæqualitatem tenens, vel in excessu, vel in defectu erit repræhensibilis, ad quod avertendum opus prudentiæ, quæ tertiam efformat virtutem, nempè temperantiam, à cuius virtutis possessione se alienum ostendit: Cio. lib. 2. de fine bon. & mal. Tam qui necessariis pertinaciter demit, quam qui indulget superfluis; Temperantia enim est moderatio cupiditatum, rationi obediens. Sive ut placuit Aristoteli lib. 3. Ethic. Est mediocritas circa

*voluptates corporis.* Cum itaque nequeat temperantia, sine mediocritate subsistere, medium autem prudentia assignet in omnibus, benè ex prudentia tertiam efformari virtutem, scilicet temperantiam, docuit S. Bernardus, de eadem temperantiæ virtute subjungens.

### S E C T I O Q U I N T A

*Non est ergo temperantia in solis resecandis superfluis,  
est, & in admittendis necessariis.*

**C**ertum est tām nutritivum esse criminum nimium excessum, quām nimium defectum esse paricidam virtutum; experientiā comprobatum est, quod sicut mens cibi inanitate laxata perdit orationum vigorem, dum carnis nimiā laxitudine prægravata, condormitare compellitur; itā rursum nimietate voracitatis oppressā, emittere ad Deum preces puras non potest. *Non est ergo temperantia in solis resecandis superfluis, est, & in admittendis necessariis.*

### S E C T I O S E X T A

*Hujus sententiæ Apostolus, non fautor tantum, sed Author esse videtur, qui curam carnis nostræ docet non perfici in desiderio, dicens siquidem curam carnis non perfici, superflua cohibet, addens in desiderio, Necessaria non excludit.*

**S**icut nimia corporis cura, magnam virtutis, & animæ parit incuriam, proindè ab hac animali sollicitudine, toto studio fugiendum docet philosophia moralis, quæ hominem instituit ad majora natum, non debere per nimiam corporis sollicitudinem, terrenorum se mancipium efficere: quapropter imtemperantiæ notam nequit effugere, quisquis plusquam par sit, est nimis solitus, in corporis sui incolumente servanda. Apostolus in præfata sententia, quoad

ea,

ea, quæ ad corporis curam spectant, *superflua cibibet*, *necessaria non excludit*, ut explicat S. Bernardus. Alibi enim ipse Apostolus, moderatam corporis curam non improbat, dicens: *nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam*. Ex quibus liquet, quod tam intemperans dicendus sit, qui per excessum, quam qui per defectum in corporis cura peccaverit.

## SECTIO SEPTIMA

*Unde mihi videtur non absurdè definire temperantiam, qui hanc, nec præcedere necessitatem, nec excedere dicat, juxta illud Philosophi.*

*Ne quid nimis.*

**C**Oncidit hæc definitio temperantiae cum illa, quam tradit Cicero de fine bonorum, & malorum: *Temperantia est moderatio cupiditatum rationi obediens*. Moderatio enim nec præcedit necessitatem, nec excedit, unde & dicebat Philosophus: *Arist. lib. 3. Ethic. Temperantia est mediocritas*, juxta illud. *Nequid nimis*. Inter apophategmata septem Sapientum, memoratur hoc aureum dictum: *Ne quid nimis*; idest omnis excessus vitandus est pariter, ac omnis defectus: quod dictum si ab omnibus ita servaretur, ut data quacunque occasione, converteretur in factum, nullibi vitia locum haberent.

## SECTIO OCTAVA

*Jam de Justitia, quæ una ex quatuor est, nonne constat consideratione mentem prævenire, ut se formet in ea.*

**J**USTITIA, quam matura consideratio non prævenit, potius præceps determinatio dicenda. Licet justum agat, non tamen justè operatur, qui sine præveniente con-

sиде-

sideratione dijudicat ; omnis virtus destruitur , nisi per considerationem fulciatur , quia quò plus se posse conspicit , eò virtus sine moderamine rationis infirmatur .

## S E C T I O N O N A

*Se enim necesse est prius cogitet , ut à se normam ducat justitiae , nec factura utique alteri , quod sibi fieri nolit , nec quod sibi fieri velit negatura ; in his nempe duobus liquet integrum esse justitiae statum .*

**S**CITÈ ad rem de justitia Philosophus scripsit : *Idem lib. 5. Ethic. c. 5. Justitia mediocritas est , illa quidem , non tamen quomodo Superiores virtutes , sed quia ad medium , idest aequalitatem pertinet , injustitia verò utrumque attingit extreum . Justitia virtus est , quà quis se aptum probat , & propensum ad ea animi judicio præstanda , quæ justa sunt , officiaque tribuenda , & sibi cum altero , & alteri cum altero , si conferatur ; non ità tamen , ut sibi plus emolumenti , & proximo minus tribuat , sed cuique suum . Ex quo factum est tritum jam sermone proverbiū . Justitia in se virtutes continet omnes . Eademque virtus perfecta est , ob id maximè , quòd inest in èa usus virtutis undique perfectæ , quapropter scripsit Plato : Qui adjustitiam perduxit , hic ad omnium finem virtutum , & universam collectionem , in qua cunctæ comprehensim insunt , ut vetus est dictum , pervenire poterit . Ex quibus colligere liquet , quanta sit justitiae cum cæteris virtutibus connexio ; undè subdit S. Bernardus .*

## S E C T I O D E C I M A

*Sed nec ipsa solitaria est . Intuere etenim nunc mecum etiam hujus pulchram connexionem , & coherentiam justitiae cum temperantia , & item ambarum cum duabus Superioribus , idest prudentia , & fortitudine . Nam ,*

*cum*

*cum iustitiae dicatur portio, quod sibi non vult fieri quis, alii non facere: porro perfectio, quod ait Dominus: Quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Neutrum horum erit, nisi ipsa voluntas, de qua tota dicitur forma, sic ordinata fuerit, ut nec velit aliquid superfluum, nec necessarium quid superstitione nolit, quod quidem temperantiae est.*

**D**Enique, & ipsi iustitiae, ut justa sit, temperantia modum imponit: *Noli nimium esse justus*, ait Sapientis: innuens per hoc minimè approbandam iustitiam, quæ temperantiae moderamine non frænetur. Quid quod, & ipsa sapientia, hoc temperantiae frænum non respuit, dicente Paulo, secundum Sapientiam sibi a Deo datam: *ad Rom. 2. 3. Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem?* E' converso, quod temperantiae necessaria iustitia sit, ostendit Dominus arguens in Evangelio illorum temperatiam, qui abstinebant, ut viderentur hominibus jejunantes. Erat in cibo temperantia, sed non iustitia in animo: quia non Deo placere, sed hominibus intendebant.

Vix invenire est, aut antiquos Philosophos, aut SS. Patres, de quatuor virtutibus differentes, qui earumdem virtutum connexionem, præclaro aliquo dicto non commendaverint, & ut ex multis aliqua testimonia proferantur, quibus virtutum connexio describitur; audiatur S. Augustinus, qui libro de vera Religione, iustitiam opus habere temperantiae scripsit. *Nimia iustitia incurrit peccatum, temperata iustitia facit perfectos.* Prudentiam opus habere iustitiæ asserit Cicero: *lib. 1. Offic. Sine iustitia nihil valet prudentia*, sed neque fortitudo sine prudentiæ potest subsistere, teste Agesilao. *Fortitudinis quidem, absente prudentia, nullus est usus*, quæ pariter, & iustitiæ essentialiter indiget, quandoquidem definitur ab Aristotele: *3. Ethic. Fortitudo est virtus pugnans pro æquitate*; Neque temperantiam excludit, scribente Lactantio: *Divin. Instit. lib. 1.*

*Ille solus vir fortis debet judicari, qui temperans est, moderatus, & justus.* Demum ab ipsa fortitudine iustitiam custodiri, cæterasque virtutes, perhibet S. Ambrocius lib. I. de Offic. Non mediocris animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, simulque, & iustitiam custodit.

## S E C T I O U N D E C I M A

Dicito mihi quæsò, si potes, cuinam potissimum trium barum virtutum, meditulum hoc dandum censeas, quod ita cunctis conterminum est, ut videatur esse proprium singularum? An ipsum virtus est, & nihil aliud? Sed sic virtus non esset multiplex, sed essent omnes una. An potius, quia sine eo virtus una est, omnium quodammodo intima vis una est, & medulla virtutum: in qua sic uniuntur, ut perinde una videantur omnes, præfertim quod non illud participando communicant, sed totum à singulis, atque integrum possidetur? Verbi causa. Quid tamen iustitiae, quam modus? Alioquin, si quid extra modum relinquit; non planè cuique tribuit, quod suum est: quod tamen suum ipsius est facere. Quid tamen rursum temperantie, quæ non aliundè profectò temperantia est, nisi quod nil immoderatum admittit? Sed fatebore etiam non minus esse fortitudinis, cum vel maximè ipsa sit, quæ ab irruentibus vitiis, & quasi hinc inde suffocare conantibus, purum potenter eruit, & vindicat in quoddam stabile fundamentum boni, sedemque virtutis. Ergo modum tenere, iustitia est, temperantia est, fortitudo est.

**C**um de virtutibus singulis verificari debeat illud commune adagium, *in medio virtus*. Postquam de virtutibus differuit S. Bernardus, atque mirabilem earumdem connexionem, mellifluo calamo est prosecutus, illarum nullam excessum pati posse, aut defectum ostendit;

omnibus , & singulis medium necessariò esse tenendum probavit , cui ex his dandum sit meditullium investigat ; de quo meditullio etiam quærit , an hoc sit quædam virtus , ab aliis distincta , de quâ virtute omnes participent , cum omnibus virtutibus meditullium necessarium esse , non sit qui ambigat ; proindè unamquamque virtutem in suâ linea , modum tenere , & medium resolvit , itaut virtutis mediocritas , non sit censenda peculiaris virtus , ab ipsa virtute , cujus mediocritas est distincta , sed sit quædam perfectio , sine quâ nulla virtus possit subsistere . Aut potius afferit , quod ipsa mediocritas , in ea linea , in qua talis est , sit ipsa essentialiter virtus , cum nec ab eadem virtute , cujus est mediocritas , penitus discreta apparet ; quandoquidem concludit : *Ergo modum tenere , & medium , justitia est , temperantia est , fortitudo est* ; quapropter , juxta Philosophum , accommoda videtur definitio virtutis , quam sic exponit : *Virtus moralis , est habitus in medietate consistens* , hoc est in adæquatione , & conformitate ad suam regulam , & mensuram , quæ est ratio , quod non excedat , neque deficiat , & cum inter excessum , & defectum , medium sit æqualitas ; ideo in quantum passionem , seu appetitum reducit ad æqualitatem rationis , dicitur consistere in medio .

### S E C T I O D U O D E C I M A

*Sed vide ne in hoc differant , ut justitiæ quidem in affectu , res sit , à fortitudine autem efficacia ejus , porrò possesto ejus , atque usus apud temperantiam .*

**M**Odum tenere omnibus virtutibus Cardinalibus competit , sicut ex his quæ superius dicta sunt , constat . Competit autem differenter , ut subdit hoc loco Sanctus Bernardus , siquidem modum , quem tenet justitia , esse in affectu , negarit nemo , qui justitiæ munia accurate per-

perpenderit. Cum enim ille sit justus, qui unicuique suum tribuit, neque hoc exequi valeat, si erga alios excedat, vel deficiat in affectu, jam patet justitiae modum esse in affectu, cuius efficaciam à fortitudine progredi, bene asseritur, & possessionem, atque usum à temperantia.

### S E C T I O D E C I M A T E R T I A

Restat jam ut doceamus, ab ac communione prudentiam non excludi. Nonne ipsa est, quæ modum diù animi neglectu posthabitum, & vitiorum invidiæ, quasi in abditis reclusum, & coopertum, quadam vetustatis caligine prior repetit, & advertit; propterea dico tibi, à paucis advertitur, quia paucorum prudentia est. Itaque justitia querit, prudentia invenit, vindicat Fortitudo, Temperantia possidet.

**F**ortitudini, justitiæ, & temperantiæ modum esse tenendum, concluserat superius S. Bernardus, eamdemque conclusionem, quoad prudentiam ibi stabilire nititur, ut illam cum cæteris virtutibus, meditullio non carere, imò opus habere ostendat. Et eò magis prudentiæ proprium esse videtur modum tenere, quod hæc reliquis virtutibus, medium reserat viam, nam prudentia virtus est, quæ modum diù animi neglectu posthabitum, & vitiorum invidiæ, quasi in abditis reclusum, & coopertum, quadam vetustatis caligine prior reperit, & advertit, *quod à paucis advertitur, quia paucorum prudentia est*. Utique paucorum prudentia est, cuius neglectu sequitur, quod cæteræ virtutes etiam negligantur. Prudentiam nobis à natura insitam esse, indubium revocari non potest, sed solum secundùm prima principia omnibus nota, nobis esse communicatam, etiam perspicuum est. Nihilominus paucorum esse prudentiam dicitur, quia prudentia in actu exercito illa est, quæ principia generalia, à natura insita, sit individualibus operationibus, quæ quotidiè occurrunt ap-

plicare, quod donum cum paucorum sit, ideo paucorum prudentiam esse dicitur, cuius potiorem gloriam consistere in applicatione ad opus, afferit S. Thomas 2. 2. q. 47. art. 3. & 9. item 2. 2. q. 49. art. 7. & 8. Hunc autem modum applicationis ad opus, nonnisi mediā consideratione, opus omne factibile præveniente, consequi haudquaquam posse certum est. Ideo ad considerationis studium, cuius beneficio excitantur virtutes, hortantur Ecclesiastici, quibus potissimum opus prudentiā, cuius multiplices dotes sunt sequentes, scilicet intellectus, circumspectio, cautela, experientia, prævidentia, & discretio. Quisquis autem his dotibus enitere neglexerit, haudquaquam prudens dici poterit in operibus suis, ad rem sic concludente D. Thoma 2. 2. q. 53. art. 3. *Si quis feraatur ad agendum per impetum voluntatis, pertransitis hujusmodi gradibus, erit præcipitatio*, proinde paucorum dicitur esse prudentia, quæ tot dotibus esse debet circumscripta.

### S E C T I O D E C I M A Q U A R T A

*Non mihi hoc loco propositum est de virtutibus  
disputare, sed dixerim hortans ad vacandum  
considerationi, cuius beneficio hæc,  
& similia advertuntur.*

**D**E Consideratione differens S. Bernardus, occasionem nactus, de Virtutibus Cardinalibus incidenter sermonem instituit; neque sibi propositum de consideratione argumentum, profaciorem de virtutibus disputationem patitur; ubi enim quæcumque de virtutum excellentiā profari possunt, si quis prosequi vellet, de iisdem præcisè loquendo, plura volumina absolveret. Hæc autem ad rem de virtutibus, in tractatu de consideratione ideo inserta, ut magis, ac magis excitetur legentis animus ad considerationis studium, cuius beneficio virtutum prærogativæ innotescunt, ad quarum acquisitionem debemus totis viribus

bus insudare, sed fortius viam virtutis debet incedere, quisquis ratione Pontificia dignitatis, quā cæteris præmet, tamquam lucerna ardens in domo Dei, debet unde quaque virtutis fulgore, non tam sibi, quam cæteris enītēre, cum verum sit, quod *Lux gregis, est flamma Pastoris.*

## S E C T I O D E C I M A Q U I N T A

*Cui tam pio, tamque utili otio, nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est?*

**V**Acere considerationi, non modò otium non est, sed exercitium necessarium; vitam siquidem perdit, qui quantum sibi par est, & suo cum ministerio compatisit, tām Sancto non vacat exercitio. In cæteris enim occupationibus, animus ad exteriora diffusus, sāpē seipsum negligit, qui se totum in exercitio considerationis invenit, & frequentius cum suo ( scilicet Deo ) se unit principio, à quo disjunctum vivere nihil aliud est, quām perdere vitam.

## C A P U T O C T A V U M

## S Y N O P S I S .

Veterum Pontificum exemplo, docet Eugenium, & in eō omnes Prælatos, potius Ecclesiastica, quām Sæcularia munia trahere debere, neque timendam esse afferit calumniam novitatis; licet enim plures prædecessores Pontifices, valde externis negotiis addictos fuisse constet; certum tamen est, etiam plures ex ipsis, considerationis studium cæteris occupationibus præposuisse: exemplum adducit de S. Gregorio, qui tempore obsidionis Urbis, considerationi vacabat, & Ezechiem exposuit: ideo istorum potius, quām priorum vestigiis inhærendum suadet, quia de bonis potius, quām de novis, exempla esse sumenda, negari minimè potest.

## SECTIO PRIMA

*Quid tamen, si te Philosophia huic totum repente devoveris: prædecessores tui non ita consueverunt? eris molestus quampluribus, quasi à Patrum vestigio subito deviaveris, nempè id videberis agere in fugillationem eorum.*

**Q**uæ fieri possent objecta in præsenti materia, solvere aggreditur S. Bernardus, Eugenium ad considerationis studium facilius excitaturus: Cum enim considerationis necessitatem in superioribus sæpè inculcaverit, plures autem Pontifices, ab hoc studio alienos etiam fuisse constiterit, eò quod exterioribus occupationibus implicati vixerint, objectioni occurrit.

Itaque apud ignarum vulgum, qui rerum est appretiator injustus, potiusque passionis, quam rationis oculo, quæ sub sole occurrunt discernit, videtur arguere in successore novitatem, declinare a prædecessorum vestigiis, quæcumque illa fuerint, quasi qui à prædecessorum moribus deviat, hoc faciat in fugillationum eorum, undè meritò notari possit vulgari proverbio: *Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes*: Nihilominus quidquid dicat vulgus, à studio considerationis alienus, ægrè ferens in alio virtutem, à qua ipse declinat. Blaterare poterit insuetum esse in Pontifice considerationis studium, sed consonum dignitati Pontificiae, negare nullo modo valebit. Una potissimum inter causas malorum nostrorum hæc est, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed potius consuetudine, quæcumque illa sit, adduci patimur: *S. Cyprian. in Serm. Consuetudo autem, quæ sine peccato servari non potest, non valet*. Consuetudo injusta, frustra ab usibus obtenditur. Esto agere videatur in fugillationem prædecessorum, qui minus recta eorum vestigia sequi recusat: Certum tamen est, propriæ obligationis adimplementum, præferendum esse exemplis, quæcumque illa fuerint. Quid si prædecessorum exempla, minus recta fuisse constite-

stiterit? *S. Augustinus lib. de Civ. Dei.* *Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est, cui quidem, & exempla concordant, sed illa, quæ tantum digniora sunt imitatione, quantum excellentiora pietate; hoc unum agere debemus, ut dignam munere nostro vitam instituamus, non ut insipientis vulgi conformemur judicio. Qui bene agit, ipse facta sua sufficienti auctoritate confirmat. Qui recte agere intendit, debet semper studere, ut in omnibus operibus suis, meliora æmuletur charismata, non quod popularibus sensibus, potest magis esse conforme.*

## S E C T I O T S E C U N D A

*Sed & notabere vulgari proverbio. Qui hoc facit,  
quod nullus mirantur omnes, veluti qui  
cupias admirationi fore.*

**A**ctio, quam docet justitia, exigit charitas, probat conscientia, non debet novitas nuncupari: esto quod prætentia novitas, admirationem possit excitare apud ignoros, sed simul, & semel actio per se commendabilis, licet nova, venerationem sibi, etiam à contradictientibus conciliat, qui licet inviti, non possunt recta facta non comprobare.

Abstinendum à novitate, quæ in vitium declinat, sed quæ virtutis specimen exhibet, semper est commendabilis. *Quid si, & de bonis actionibus, quia novis, notabere vulgari proverbio. Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes;* An ideo debemus ab incepto opere bono defisteremus. Absit, sapiens non debet moveri popularibus garrulitatibus. Si de bonis actionibus, quia novis admiracioni fueris, simul, & semel eris necessario exemplo, quod indesinenter, quicumque præsunt debent subditis exhibere, non eo fine, ut admirationem excitant, sed ut bonorum operum exempla promoveant. Non timendum à calumnia novitatis, cum plus amatur bonum insolitum: *Sine intermissione bene agere, & patienter detractionem sustinere*, sunt

*funt duæ optimi Principis dotes . Dicere consueverat Ma-  
gnus Alphonsus Rex Hispaniarum , quod fortè à Seneca  
didicerat lib. 3. de Ira : Contumeliarum patientia, ingens  
instrumentum ad tutelam regni :*

Nihil aliud agendum Principi , cum ex eo quod be-  
nè operatur , notatur vulgari proverbio , quām dissimulare  
patienter , juxta rationem , quam exhibuit in lege sua Theodo-  
sius : Si enim id ex levitate processerit contemnendum ,  
si ex infania miseratione dignissimum , si ab injuria remit-  
tendum .

### S E C T I O T E R T I A

*Nec potes eorum omnia simul , & subito , vel errata  
corrigere , vel excessus redigere in modum .*

**I**nveteratus morbus lenta indiget curatione : abusus qui  
callum induxit , non statim est corrigibilis , sed pau-  
latim evellitur : quòd si à correctione vitorum idcirco  
reticemus , quia contra nos insurgere derisionis odia for-  
midamus , non jam Dei lucra , sed nostra querimus . In-  
sistendum itaque abusuum correctioni , quidquid mirentur  
aliqui , qui resipiscientiam oderunt , sed insistendum debi-  
to modo , & tempore opportuno . Plus proficit ad infir-  
mi salutem leve medicina , debito modo , & opportuno tem-  
pore exhibita , quam violenta indiscretè propinata , quare  
ad rem , monet Eugenium S. Bernardus sequentibus verbis .

### S E C T I O Q U A R T A

*Erit cum acceperis tempus , ut secundum sapientiam tibi  
à Deo datam , paulatim , & opportunè id studeas .*

**R**amus incurvus subitam inflexionem , & producentis  
manum violentam non sustinet , citiusque frangitur ,  
quam dirigatur , sic & abusus , qui violenter à Superiore  
vel-

vellent avelli magis infigerentur , itaque ad quem spectat errata corrigere , debet opportunum tempus nancisci : *Ut secundum sapientiam sibi à Deo datam , paulatim excessus valeat redigere in modum , aliquando enim inveterati errores , dulci sunt admonitione mulciendi , nam plerumque , quos cruciamenta non corrigunt , ab inveteratisabusibus , lenia blandimenta compescunt ; quià , & ægros quos fortis pigmentorum potio curare non valuit , ad salutem pristinam tepens aqua sæpè revocavit .*

Correctio incongrua plus exasperat , quam liniat delinquentem , sicut indebitè extergentes fordes , sæpè etiam lacerant pannos ; ità dum quædam vitia nimis anxiè emendare curamus , magis lædimus : *Secundum sapientiam à Deo datam paulatim , & opportunè excessus sunt redigendi in modum .*

### S E C T I O Q U I N T A

*Interim sanè malo alterius utere in bonum , quod potes .*

**U**bi mala non possunt statim emendari , ità sunt per tractanda , ut iisdem utamur in bonum , quod possumus ; *utitur alterius malo in bonum ,* qui ex alterius lapsu discit cautior incedere ; malum quod evitari statim non potest , saltem ita debet coerceri , ut minus noceat , usque dum avvertatur : *Satis utitur alterius malo in bonum ,* qui cum malum statim nequeat amovere , saltem secundum scientiam sibi à Deo datam , studet ne ulteriora damna moveat : proximus curationi est morbus , cuius diminutionem , si statim medicina non operatur , cohabet incrementum : non possunt subito , vel errata corrigi , vel excessus redigi in modum , proindè satius est alterius malo uti in bonum , quod possumus . Malum ibi vocat Sanctus Bernardus , nimiam quorundam Prælatorum sollicitudinem , qui toti ad exteriora diffusi , de interna animi pace , & profectu in considerationis studio , minus quam

To. I.

T

par

par foret, videbantur solliciti. Cæterum cum difficile sit Pontificem, cui totius credita cura est ovilis, posse omnino ab externis vexationibus abstinere, nisi notetur tamquam novitatis amator; Proindè S. Bernardus, præ cæteris charismatibus, discretionis prærogativa à Deo insignitus, Eugenium docet, neque omnino ab hoc munere compонendi lites, admittendi ad audientiam abstinere, ne vulgari notetur proverbio: *Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes.* Sed potius admonet, ut malo hoc, quasi in Pontifice jam necessario, utatur in bonum: qua ratione autem hoc fieri valeat, jam superius docuerat, cum hor tabatur, ut occupationes externas, non rumperet, sed magis interrumperet, & nec sæpè, nec semper, sed aliquando se intra se reciperet, ut considerarioni vacaret, juxta plurium prædecessorum exemplum; non enim, quæ recentiora, sed quæ meliora, debent Principes exempla sibi imitanda proponere:

### SECTIO SEXTA

*Quamquam si de bonis, & non de novis sumamus exempla, non defuere Romani Pontifices, qui sibi otia inter maxima negotia invenirent. Obsidio Urbi, & barbaricus ensis civium cervicibus imminebat. Numquid tamen istud terruit B. Papam Gregorium, quo minus sapientiam scriberet in otio, eo nempè tempore (quod ex ejus præfatione liquet) obscurissimam, & extremam partem Ezechielis, tam diligenter, quam eleganter exposuit.*

**S**I quæ tempora fuerunt, quibus externis præoccupatus vexationibus, vixerit Summus Pontifex, certè illa extitisse, quibus B. Gregorius, urbi præfuit, & orbi, inficiabitur nemo, qui eundem adverterit unico contextu, imminentibus irruentium inimicorum, jam prope urbi adstantium, periculis obrutum; pluribus negotiis, pro componendis Regum invicem contendentium dissidiis, fatigatum;

per-

pertinacium hæreticorum erroribus divellendis intentum , & nihilominus , inter tot urgentia negotia , ita tempus ad vacadum Deo redemisse in sapientia , ut obscurissimam , & extremam partem Ezechielis , eo tempore tam diligen- ter , quam eleganter exposuerit : Videant nunc Prælati , cæterique viri Ecclesiastici , quomodo in pace , & tranquillitate viventes , utantur otio concesso , an ad sacra studia , an ad vana , & sæcularia negotia . Videant qua ratione redimant in sapientia tempus . Quam multos heu nimium videre est alienis , otiosis , & indignis occupari . Nihil autem differt , an vir Ecclesiasticus otiosus sit , an male occupatus . Olim certè SS. Præfules , etiam in gravissimis negotiis , invenerunt modum vacandi Deo , & nunc invenient , quibus cura , & parsimonia temporis erit : ab occupationibus externis se subtrahere , potissimum expedit cuicunque viro Ecclesiastico , ait Apostolus : *Templum Dei sanctum est , quod estis vos : S. Petrus Dam. Serm. Synod. 75.* Hujus autem templi fenestræ Sacerdotes sunt , & cum terra nego- tia Sacerdotes implicant , quasi fenestræ clausæ templum , quod amittit lumen , obscuratur .

## C A P U T N O N U M

### S Y N O P S I S .

*Abusus Curialium perstringit , causas utique agitandas esse approbat , sed sicut decet , nempe breviter litium ambages resecandas docet , dilationesque amputandas ; neque omnes causas esse admittendas : damnat impudentiam quorundam , putidas causas judiciis ingerentium : ambitiosis plenam esse Ecclesiam deplorat .*

### S E C T I O P R I M A

*Sed esto , alius inolevit mos , dies alii sunt , & alii hominum mores , & tempora periculosa non instant jam , sed extant .*

**E**ccliam prioribus saeculis, Sanctis florescentem moribus, nunc per orbem dilatatam, inter pullulantes silvescere abusus, meritò deplorant Sancti Patres, qui priora Ecclesiæ saecula, propter incrementum virtutum, licet à persecutoribus agitata, longè fæliciora fuisse, quam nostra, ubi quiescentibus tyrannis, horribiliorem persecutionem pati ab introductis abusibus, & pullulantibus vitiis, jugiter lacrymantur. Alius certè inolevit mos, dies alii sunt, & alii hominum mores. In primitivâ Ecclesiâ vide-re erat Sacerdotes aureos, quamvis uterentur calicibus ligneis, nunc Sacerdotes lignei sacrificium offerunt in calicibus aureis. Tunc Præfules facti forma gregis, digniores reputabantur; nunc dignum Prælatum agere non posse, penè dixeris, nisi eum, qui scit dominari in Cleris. Noverant tunc laici debitum deferre honorem Sacerdotibus, quorum aliquos ad Sacerdotii ignominiam, nunc etiam in laicorum domibus turpiter famulari conspexeris. Quos olim ad dignitates Ecclæsticas solum extolebat meritum, nunc paucum contem-ptibiles factos ingemiscimus. Tunc unanimi charitate con-cordes vivebant Christifideles, nunc contentiosi litium fo-menta invicem excitant. Inter duodecim abusiones saeculi, quas S. Augustinus, *de Duodecim abusibus*, deplorat, Christianum contentiosum enumerat. Plures autem ex abusibus, à Sancto Augustino recensitis, cum inter Christianos invaluerint, meritò S. Bernardus, tempora periculosa non instare jam, sed extare exclamat.

### S E C T I O   S E C U N D A

*Fraus, & circumventio, & violentia invaluere super terram.*

**C**alamitatēm hanc, jam suo ævo in orbe dilatatam con-spexerat S. Chrysostomus, sic affatus: *in cap. 20. Matth. In hoc mundo omnes emendo, & vendendo vivunt, & invicem sibi fraudem facientes, vitam suam sustentant.* Utin-

Utique fraus, violentia, & circumventio invaluerunt super terram, præcipuè hac nostra ætate, qua ille prudenter judicatur à sæculo, qui calidior est in arte decipiendi. Non tanto studio, neque tot laqueis venatores, feras, atque volucres capiunt, quot versutiis homines, alios quosque simpliciores decipere conantur. Fides exultat, regnat fraus, violenter expetitur, quod justè nequit obtineri. *Fraus, & circumventio, & violentia invaluerunt super terram.*

## S E C T I O T E R T I A

*Calumniatores multi, defensor rarus, ubique potentiores opprimunt pauperiores.*

**E**nixè orabat S. David: *Non tradas me calumniantibus:* abundat hujusmodi carbonibus desolatoriis ætas nostra, in qua calumniatores multi, defensor rarus. Unde clamat ad nos Deus: *Jerem. 21. Eruite oppressum de manu calumniantis.* Sed satius repetere verba Ecclesiastes: *Eccl. 45. Vidi calumnias, quæ sub Sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem.* Utique calumniatores multi, defensor rarus; facilius enim est invenire, qui calumniatori consentiat, quam qui ab injuria per calumniam illatà, studeat vindicare innocentem. *Ubique potentiores pauperiores opprimunt,* expetunt siquidem injustè per vim, & metum, quod nequeunt justè obtainere; si pauper causam proponat cum divite, hujus præpotentia, illius rationibus præfertur; si de obtainenda dignitate agatur, potensis divitiæ, pauperioris merito prævalent: *ubique potentiores, pauperiores opprimunt.* Qui potentia, sibi à Deo traditæ, abutitur in oppressionem pauperum, non vir potens, sed tyrannus est nuncupandus: *S. Greg. lib. Mor. Potestas namque cum habetur, cogitanda est ad utilitatem.* Ad hoc saluberrimum monitum inclinent aures suas, qui potentia suæ abutentes, opprimunt ope-

operarios, quibus justa stipendia, si non denegantur, plus quam par sit prorogantur. Jam vix licet pauperi causam suam defendere, & jus suum dicere contra potentes; potentioribus potius, quam pauperibus, favent in causarum discussionibus, judicium arbitria; vincit causas potentia: *Summum in Regibus bonum est justitiam colere, ac sua unicuique jura servare, non finere, quod potestatis est fieri, sed quod aequum est custodiri: S. Greg. ubi sup.*

### S E C T I O Q U A R T A

*Non possumus deesse oppressis, non negare justitiam potentibus judicium.*

**A**D hoc data est Principibus à Deo potestas, & hoc est potissimum Principis munus, facere judicium, & justitiam, diligere pauperes, non deesse oppressis, ministrare justitiam, judicium potentibus; non enim ideo bonus dicendus est Princeps, quia diutius imperavit, regni ditionem ampliavit, aurum cumulavit, vel inimicos subegit; hæc enim, & alia hujusmodi ærumnosæ vita, vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores dæmoniorum accipere potuerunt; sed ille bonus prædicandus est Princeps, qui potestatem suam religionis incremento exercuit, qui oppressis non defuit, qui subvenit pauperibus, qui justitiam potentibus non negavit judicium, & superbientes pauperum oppressores compescuit: *S. August. lib. 4. In hoc serviant Reges Deo, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant.* Princeps dicitur, qui ita principatur, ut omnes inordinatos motus, non tam in se, quam in subditis potestate sapientiae, & administratione justitiae comprimit. Principis locus bene tenetur, cum ille, qui præest, vitiis potius, abusibus, & oppressionibus, quam subditis dominatur. Hunc finem sibi proponere debet bonus Princeps, ut subditos suos, omnes in suo statu fælices faciat. Bono Principi nihil jucundius subditorum prospecta-

ritate . Hoc assequetur quisquis in aliquo Solio à Deo constitutus , non deerit oppressis , non negabit justitiam pentibus judicium : Si omnino sit vacuus affectibus . Nullus est , quem magis oporteat , vel bona scire , vel meliora operari , quam Principem ,

## S E C T I O Q U I N T A

*Nisi agitentur causæ , audiantur partes inter partes ,  
judicare quis potest .*

**Q**ui judicat inauditis partibus , licet justum judicet inuste judicat . Verus Judex debet ita partem audire , ut unam semper aurem pro altera parte omnino vacuam servet . Semper injustus est Judex , qui uniusquam alteri ex contendentibus partialiē se exhibet . Judicis officium est verum sequi , hoc autem assequi nequit , nisi audiantur æqualiter partes . *Inaudita parte judicare , barbarum esse , & tyrannicum , dicebat Lucius Apulejus : Qui judicat debet esse omnibus communis , absit à Judice personarum acceptio : Nisi audiantur partes , quis potest inter partes rectum ferre judicium ? Sint itaque Magistratus , sint Judices , ad quos privati configant , sed sint quoque Principes , qui ad judicandas justitias , tempus accipient .*

## S E C T I O S E X T A

*Agitentur causæ , sed sicut oportet . Nam is modus , qui frequentatur execrabilis planè , & qui non dico Ecclesiam , sed nec forum deceret . Miror namque quemadmodum religiosæ aures tuæ , audire sustinent hujusmodi disputationes Advocatorum , & pugnas verborum , quæ magis ad subversionem , quam ad inventionem proficiunt veritatis . Corrigere pravum morem , & praecide linguas vaniloquas , & labia dolosa clade : hi sunt , qui instruunt , à quibus*

*bus fuerunt instruendi, astruunt non comperta sed sua, struunt de proprio calumnias innocentia; destruunt simplicitatem veritatis, obstruunt judicij vias. Hi sunt qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, diserti adversus justitiam, erudit pro falsitate, sapientes sunt, ut faciant malum; eloquentes, ut impugnent verum.*

**Q**ualis erat, tunc temporis methodus agitandi causas in Curia, quam detestatur S. Doctor, eadem profecto, & hisce temporibus, non minus execrabilis reputatur à S. Bernardo, si spectator accederet ad quaedam tribunalia, ubi non modo Judices diligunt munera, & sequuntur retributionem, sed ipsi quoque Causidici, per inutiles pugnas verborum, causas pretendere conantur, non tam ad Judicium subversionem, quam ad litigantium detrimentum, quod in proprium lucrum convertunt. Insuper injustas sèpè causas patrocinandas suscipiunt, nihil interea cogitantes de causæ exitu, dummodo ex iniquitate quæstum faciant: *S. Greg. sup. Ezech. Justus Advocatus à nullo injustas causas accipit.* Advocatus sic dicitur, quia velut in subsidium litigantium vocatus; Sed inventire est quam multos, qui non in litigantium subsidium, sed potius in eorum detrimentum advocant causas, de quarum insufficientia ipsis evidentissime constat, non erubescentes injusto patrocinio aggravare conscientias suas, ratione scilicet injusti auxilii quod impendunt, ratione documenti quod faciunt, ratione boni quod impediunt. Sèpè major est sumptus expensæ, quam fructus sententiae: De iis Causidicis sic loquitur S. Augustinus Epist. 54. *Si justitia sincerius consulatur, justius dicitur Advocato. Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetiisti, iniquitati adfuiisti, Judicem fecelliisti, justam causam oppresisti, de falsitate vicisti.* Nec desunt qui justissimas pauperum causas patrocinari recusant, quia exuberantia stipendia à pauperiore cliente nequeunt emungere. Cæterum, pauperibus in necessitate constitutis, teneri Advocatos

catos, gratuito patrocinio subvenire, probat S. Thomas 2. 2. q. 71. art. 1. ipsæque leges Advocatis, exuberantia stipendia exigentibus, meritò poenas remotionis ab officio infligunt, *Lege Si qui tit. de postulando in Cod.*, *Lege quis quis: tit. de postul. in codem.* Similique poenæ subjiciunt Causidicos, qui procacibus verbis utuntur, neque ratione, sed probis putant esse certandum. Advocatorum justè, piè, & modestè patrocinantium, meritas laudes perstrinxerunt Leo, & Anthemius Imp. his verbis: *Lege Advocat.* 54. *Advocati qui dirimunt ambigua facta causarum, suæque defensionis viribus, sæpè publicis in rebus, & privatis lapsa erigunt, fatigata, reparant, non minus provident generi humano, quam si præliis, atque vulneribus patriam, parentesque salvarent.* Neque enim solos nostro Imperio militare credimus, qui gladiis, Clypeis, & Thoribus utuntur, sed etiam Advocatos; militant namque causarum patroni, qui gloriose vocis confissi munimine, laborantium, spem, vitam, & posteros defendunt. Illos verò Causidicos, qui injustas causas, propter turpis lucri quæstum, defendendas suscipiunt, vel immoderatas extorquent à cipientibus retributiones, sic alloquitur Sidonius lib. 5. ep. 7. *Hi sunt, qui causas protendunt exhibiti, impediunt prætermitti, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati.* Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictanda convellunt, attrahunt, litigantes, protrahunt audiendos, trahunt addictos, retrahunt transfigentes. Expressæ fraudes, & abusus utinam nostris temporibus, etiam Tribunalibus exularent, quos temporibus D. Bernardi adeò execrabiliter invaluisse, eodem teste, comperimus; Itaut Eugenium Pontificem, ad prædictorum abusuum subversionem, fuerit excitare coactus. Jam penè modum, & numerum prætergressæ sunt artes, quibus miserrimi clientes frustrantur, adeout si cum summiptibus conferatur molestiarum ratio, gravius jam penè sit vincere, quam damnari. Inter litigandum, dubia ex dubijs seruntur, & immanni dilatione pereunt litigantes, dum

crescit judicibus, & curialibus mercimonium. Præcipua debet esse Principis cura, quæ litium tempora breviora fiant, ne de clientum miseriis, non sine Dei, hominumque injuriâ, Judices & Advocati saginentur. Agitentur itaque causæ, sed sicut opportet, quod tunc erit, cum non passio, sed ratio in justitiæ lance prævalebit; cum tribunalia non conferentur plus offerentibus; nam ubi Magistratus sunt venales, unusquisque arbitratur licitum esse vendere quod emit; cum non respexerint Judices ad munera, & retributiones, quæ sæpè pervertunt judicium, causasque pretendunt usque ad exinanitionem litigantium, qui fortunæ bonis destituti, licet jurium merito præmuniti, juribus tamen munera unire nequeunt. Parum sæpè jura, multum munera obtinent, & juribus, atque muneribus maximæ mundanopoliticæ non raro prævalent, quibus eò tenacius adhaerent moderni politici, quò magis contra Ecclesiam invalescere perhibentur.

### S E C T I O S E P T I M A

*Nihil itaque absque labore manifestam facit veritatem, ut brevis, & pura narratio.*

**N**imia verborum prolixitas, garrulitas est, neque manifestat, sed impugnat veritatem: *Seneca Ep. 170. Multa verba stultam faciunt orationem.* Multis verbis veritas non eget, & rectius meminimus, quæ paucis verbis comprehensa sunt. Difficile est hominem multiloquum non esse mendacem. Loquacitas multos habet errores; dicere solebat Apollonius ad familiares. *Paucis verbis contenta est vera narratio.* Labotus cuidam apud ipsum longiore utenti semone, *quid mihi* (inquit) *de re pusilla texis proemia, quanta res est, tantam oportet, & orationem esse, quæ uteris.* Fuit hoc omnibus Spartanis peculiare, offendit sermone, quæ causa expostulet longiore; adeò nusquam non placebat frugalitas, nam ad causam non

non magnam, adhibere supervacuam verborum copiam, luxuriæ genus est. Cthesis fontem Lacones ejecerunt, qui se profitebatur, de re quavis totum diem posse dicere, dicentes, *boni oratoris esse, sermonem habere rebus parem.* Multa verba nequaquam faciunt sapientem opinionem. Nemo non metuit infidere æquo infreni, at plus est periculi à lingua effreni.

## S E C T I O   O C T A V A

*Ergo illas, quas ad te necesse erit causas intrare (neque enim omnes necesse erit) diligenter velim, sed breviter decidere assuecas, frustatoriasque, & venatorias præcidere dilationes.*

**P**rosequitur S. Bernardus perstringere artes, fraudesque Curialium, quibus adeò curæ non est controversiis sopiaendis admovere manum, ut potius oleum effundant. Nimurum seruntur lites ex litibus; controversiae controversias excipiunt, nullaque remorâ fisti, vel inhiberi rixarum cursus potest. Sed & sumptibus atteruntur litigantium facultates, & satius plerisque esset de jure suo recedere, quam juri experiundo fortis, nonnumquam minus idoneæ, damnum impendiorum jacturâ cumulare. Causas itaque D. Bernardus vult breviter decidi, omnes litiū ambages recidi. Cum nihil ita absque labore manifestam faciat veritatem, uti brevis & pura narratio. In quam sententiam multa, variis consiliorum decretis, statuta legimus, sed utinam praxim in Curiis, & Tribunalibus videremus. Concilium Tridentinum admonet tam Ordinarios, quam alios quoscumque Judices, ut terminandis causis, quantâ fieri poterit brevitate studeant: Ac litigantium artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte Judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant. Eadem videre est in Concil. Later. ult. sess. 10. Horum Can-

num observantiam, magnus Ecclesiasticae disciplinæ zelator S. Carolus Borromæus, studiosè promovit. Thomam quoque Morum, Angliæ Martyrem, à protrahendis in foro causis, alienissimum fuisse, Stampletonius in vita ejus testatur.

## SECTIO NONA

*Causa viduæ intret ad te, causa pauperis, & ejus qui non habet, quod det.*

**C**ongregationi pauperum affabilem te facito: Eccles. 4. Siquidem: Proverb. 29. Novit justus causam pauperum: Cum itaque Princeps justitiae administrationi sedulò studere debeat, consequenter pauperum, orphorum, & viduarum causis discutiendis, debet ex munere insistere. Non melius æmulantur principes Dei bonitatem, cujus sunt in terris imagines, quam cum pauperum se exhibent patres; Majestati Principis magis congruit inter litigantes arbitrum sedere, quam Judicem. Princeps, qui animata lex est, potius jubere debet, quam disputare. Cum autem viduarum, & pauperum causas, à Pontifice discutiendas esse doceat S. Bernardus, consequens est, majoris momenti pauperis, quam divitis causam esse pensandam. Siquidem divites, cum habeant quod dent, facilius ad Judices habere possunt accessum, idèo benè instat Eugenio S. Bernardus: *Causa pauperis, & ejus qui non habet quod det, intret ad te*, cui tamquam alieno à munere, & à retributionibus, facilius pauperes proprias poterunt exhibere indigentias, & ab oppressoribus liberari. Gloriosi regiminis bases sunt, tam omnibus, sed præcipue pauperibus, nullo discrimine jus dicere, quam copiosæ annonæ curam sedulò agere.

## SECTIO DECIMA

*Aliis alias multas poteris committere terminandas.*

Cer-

**C**ertum est non posse Principem causarum omnium dis-  
scutiendarum pondus sustinere , quapropter cum  
Deus ad Moysen , & in eo ad omnes Principes , sequenti-  
bus verbis sit alloquitus : *Exod. c. 8. Provideant sibi viros  
potentes , & timentes Deum , in quibus sit veritas , & qui  
oderint avaritiam , & constituant ex eis qui judicent popu-  
lum.* Si Princeps omnes omnino vellet per se ipsum cau-  
fas discutere , stulto labore consumeretur . Curam Princi-  
pis publicæ res , non privatorum litigia exposcunt . Ita-  
que quidquid est majoris momenti ad se avocet , aliis alias  
multas causas poterit committere terminandas . Exprimi-  
tur autem Exodi loco superius citato , ad instructionem  
Principum , substituendorum Judicum caracter , de quibus  
legitur , quod esse debeant *viri prudentes , & timentes  
Deum , in quibus sit veritas , & qui oderint avaritiam* .  
Non dabis Judicem avarum & justum , indisciplinatum &  
rectum ; Principis studium in hoc debet versari , ut di-  
gnos constituat Ministros , tales erunt , si timeant Deum ,  
si oderint avaritiam . Ministrorum peccata , suis respecti-  
vè Principibus , etiam maculam inurunt . Vix est , quod  
magis alienet à Principe subditorum affectum , quàm in-  
dignorum Ministrorum electio . Non satis est Principem  
rectè , & humaniter scire imperare , nisi etiam rectos , &  
humanos præficiat Ministros , qui timeant Deum , & ode-  
rint avaritiam .

## S E C T I O U N D E C I M A

*Quàm plures , nec dignas audientià judicare .*

**C**Um proni sint homines ad contentiones , ideo plu-  
res causas , nec dignas audientià judicandas afferit S.Ber-  
nardus : ubi tamen de oppressione pauperum agitur , causa  
viduæ , causa pauperis , & ejus qui non habet quod det  
intret ad Principem . Se probat subditis infensum , qui ne  
subditorum jura servet , eadem audire recusat . Hostibus ,  
non

non subditis negatur ad Principem accessus. Apud nationes negare audientiam, idem est, ac recusare Regnum; undè dixit muliercula ad Philippum Macedonem, quæ causam suam, sed infra Regi manifestatura acceſſerat: *Sabelius lib. 7. Si non vis audire, nec regnes.* Hoc præ cæteris maximè commendavit in Gratiano Imperatore Austroniſus, quod interpellantibus faciles præberet auditus, nec de occupatione caſafaretur: Plinii judicio Optimus ille, erit Princeps, apud quem nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora, audiuntur subditi ſtatim, di-mittuntur ſtatim. Nec minus Principis munus est libenter audire subditum oppreſſum, quam Præſulis. Quapropter D. Augustinus Sanctum Ambroſium commendat, æquè ab eloquentiā dicendi, ac à facilitate audiendi: *per quam facilis ad eum omnibus patebat accessus.* Sed cum facilitate audiendi, debent Principes, & Præſules, ſpiritu miferationis habere: ad caſas quas noverint ſuā audientiā dignas, tantummodo debent inclinare aurem ſuam, ne indiscriminatim audit, & garrulis, ſive contentioſis, & juſtè夸rulis, per eorum audientiam, iſtorum accessus protrahatur; vel ex nimia facilitate audiendi, detur contentionibus aditus, ſicque inter garrulitates conſumpto tempore, gravioris momenti cauſæ indiſcuſſæ procrastinentur, quandoquidem quamplures, *nec dignas audientia ſatiſ eſt judicare.* Hic opus eſſet ut ſaperent, & intelligerent, quam grave ſibi onus imponant, qui in aliquo ministerio conſtituti, tam diſſiſles ſunt ad audientiam, ut penè fa-ſiſor pateat accessus ad Principem, quam ad Ministrum. Acceptare ministerii honorem, idem eſt, ac aſſumere onus audiendi; tenetur honorem ministerii deponere, qui renuit onus audientiæ ſuſtinere. Qui publicis rebus gerendis à Princeps præſicitur, omnibus pro audientiæ adventantibus, debet eſſe communis. Non otio quietis, ſed ſedulitate laboris, ministerii opus perficitur. Nec ju-vat tergiversari dicendo, ad audientias tempus non ſuffi-ſre: optima excuſatio, quandocunq; ad oblectamenta,

ad

ad ludos, ad vaniloquia tempus non abundaret. Qui gaudet de honorifice, non contristetur de oneroso. Qui ministerii laborem fugiunt, & honorem capiunt, atque preventum, de populorum sanguine saginantur. Difficultas Ministrorum ad audientiam, saepe Principi, semper subditto fuit perniciosa.

### SECTIO DECIMASECUNDA

*Quid enim opus est admittere illos, quorum peccata manifesta sunt praecedentia ad judicium. Tanta est impudentia nonnullorum, ut cum manifestæ ambitionis prurigine scateat tota facies cause eorum, non erubescant audientiam flagitare, publicantes se metipso ad multorum conscientias, in quo vel sui solius poterant confundi iudicio.*

**I**mpudentiam quorumdam, putidas causas judiciis ingenerantium, redarguit S. Bernardus, eosque ab audientia meritò reprobandos insistit, quoniam dum aliorum causas eò quod injustè assumptas, defendere prætendunt, seipso reos constituant, ratione injusti auxilii quod impendunt, & nocimenti quod faciunt, per indebitas expensas, ad quas Clientes inducunt, quorum causas sæpè manifestè constat, nullis suffultas esse rationibus, nihil curantes proprias aggravare conscientias, dummodo injustas exigere valeant expensas, de quibus optimè dixeris, quod solùm ad quæstum suum sapiunt, dum aliorum lucra querere fingunt: *Publicantes se ad multorum conscientias, in quo vel sui solius possunt confundi iudicio.*

### SECTIO DECIMATERTIA

*Non fuit, qui retunderet attritas frontes, & idem plures facti sunt, & magis induruerunt.*

Abu-

**A** Busibus initio resistendum, si non adsit, qui statim oblistat, constat facillimè propagari; Neque minor est culpa introducentium abusus, quām sollicitē retundere negligentium: nihil est quod majorem sollicitudinem exigit, quam diluculō abusibus obviare.

### SECTIO DECIMAQUARTA

*Sed & nescio quomodo vitiosus conscientias vitiosorum non refugit, & ubi omnes fōrdent, unius minimè fātor sentitur. Quis enim verbi causa avarum avarus, immundus immundus, luxuriosum luxuriosus erubuit.*

**V** Itia per abusus introducta sāpē non reparantur, quia iisdem infectos esse aliquando contingit, ad quos spectat emendare, & culpam quodammodo esse non putant vitium, ad quod Superiores ipsi cum plebe sunt facti proclives; ideo erubescentes in subditis plectere, quod in scipis opus habet emendatione. Hinc fit ut immundum immundus, avarus avarum, luxuriosum luxuriosus non erubescat, ubi enim omnes fōrdent, unius fātor minimè sentitur.

### SECTIO DECIMAQUINTA

*Plena est ambitionis Ecclesia, non est, jam quod exhorreat in studiis, & molitionibus ambitionis, non plusquam spelunca latronum spoliis viatorum.*

**L** Atrones suis in speluncis viatorum spolia cernere, semper assueti, feracem non horrent aspectum, sic sacerdolum nostrum vix amplius exhorret in studiis, & molitionibus ambitionis, quæ præcipua in mundo pestis, ad boni consortii exitium esse perhibetur. Ad Ecclesiarum regimen, ad insulas aspirant, qui vix sacrorum studiorum rudimenta à limine salutarunt, disciplinæ Ecclesiasticæ prorsus

sus expertes , ideò solum noti , & promoti , quia eos caro , & sanguis revelat , vel quia aliquo potenti patrocinio suffulti , hinc se censem sufficienti merito cumulatos , ad obtinendas dignitates , undè potius deberent habere repulsa . *Plena est ambitiosis Ecclesia* . Contendunt alii supra emeritos , ratione nobilitatis præferri , quamvis omni virtute sint destituti ; nihil interim ad sui commendationem habentes , quām inanem prædecessorum suorum memoriam ; sed qua ratione in posteris venerabilis esse potest proavorum virtus , quandocunque in ipsis , nihil præter memoriam superest ? Vereor potius majores nostros , nonnisi verecundiā suffultos , posse suam gloriam , tot sudoribus comparatam , à vitiis successorum contaminatam conspicere . Tunc solum de majorum nobilitate , legitimā virtutis filiā gloriamur , cum eorum meliora charismata æmulari contendimus . Majores nostros sola virtus nobiles fecit . Hoc enim priscis temporibus unum erat remedium emergendi è latebris vulgi , cum omnes initio pares natura esse jussisset : sola virtus , in omni congressu , primos promerebatur accubitus . Quid ergò nunc temporis , virtute destituti , de sola nobilitate gloriabundi , cæteris quantumvis virtutibus cumulatis , præferri contendant ? *Plena est ambitiosis Ecclesia* , quæ hujusmodi prætentientium assiduitate oppressa , jam ferè coacta est cedere usui , & malum ambitionis , quod prioribus sæculis adeò exhorrebat amarum , usu ipso indulce conversum est : *Non est amplius quod exhorreat in studiis , & molitionibus ambitionis , non plusquam spelunca latronum spoliis viatorum* : ideò hisce temporibus sæpè possidet ambitio virtutis præmia , virtus autem , quasi nullius momenti facta , sub ambitionis jugo comprimitur . Certè multi non tantà fiduciā , & alacritate current ad honores , si se etiam sentirent onere gravari , nec cum tanto labore , & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum ; Nunc verò , quia sola attenditur gloria , & non poena , purum esse Clericum erubescitur in Ecclesia , se se viles aestimant , & inquilinos , qui quocumque eminentiori

loco non fuerint sublimati . Proculdubio sicut ait Origenes in epist. ad Rom. Omnis adeundi honoris Ecclesiastici abscinderetur ambitio , si se judicandos potius , quam judicaturos , hi qui præesse volunt populis , cogitarent . Omnis Cathedra honoris , convertitur superbis in Cathedram pestilentiae . Plena est ambitiosis Ecclesia ; quia cum ut exaltentur in Ecclesia , nullus aditus pateat ambitiosis , nisi offerre munera , munera offerunt ; inveniunt enim aliquando etiam inter Ecclesiasticos proceres , qui munera diligunt , & retributionem accipiunt ; inde reliquos quoque ordines pervasit malum , quod Ecclesiasticas dignitates , sæpè tamquam rem hæreditariam , à Patruis in Nepotes trasimittit ; Sed impossibile est omnes ambitiosorum latebras inquirere , nihil enim est supra ambitiosæ improbitatis ingenium .

## C A P U T D E C I M U M

### S Y N O P S I S

*Exortationem ad zelum contra ambitiosos facit , & contra illos , qui ex iniuitate quantum faciunt , ostendit severè animadvertisendum ; effundendam potius pecuniam , quam accipiendoam doceat . Ideò Pontificem debere se terribilem exhibere Nundinatibus instat . Et breviter repetit modum , quo se gerere debet Pontifex circa judicia , ut redimere valeat in sapientia tempus , vacando non tam actioni , quam considerationi .*

### S E C T I O P R I M A

*Si Christi discipulus es , ignescat zelus tuus , exurgat autoritas adversus impudentiam hanc , & generalem pestem .*

**N**Umquam melius rectitudinis zelo Prælatus accendiatur , quam dum contra Nundinatores in domo Dei zela-

zelatur. Exurgat auctoritas Pontificis contra omnem impudentiam, quæ decorem domus Dei in opprobrium convertit, ut condignæ ultionis flagello perterriti comprimantur, qui ex lenitate Superioris, perverse agendi ansam accipiunt: In Ecclesia Dei Nundinatores esse perhibentur, quicumque munera offerunt, vel sæcularis potestatis auctoritatem interponunt, ut Ecclesiasticas dignitates obtineant.

## S E C T I O S E C U N D A

*Intuere Magistrum sic facientem, & audi dicentem,  
qui mihi ministrat, me sequatur.*

**P**rimus discendi ardor est nobilitas Magistri, sermo quidem vivus, & efficax exemplum operis est, facile persuadens quod intendimus, dum factibile probat, quod exemplo suademus: hujusmodi exempla sunt, quæ Christus reliquit, cœpit enim facere, & docere; cum autem docenda faciens, obedientem perficiat discipulum, non est unde Christi discipulus excusare se valeat ab imitatione Magistri, qui prius docenda fecit, unde & potuit tutius dicere: *Qui mihi ministrat, me sequatur*. Docuit discipulos suos flagellum arripere contra Nundinatores, qui ex iniquitate quæcumque facere non erubescunt: ad hæc documenta inspiciant Apostolici viri, ut tempore opportuno faciant secundum exemplar.

## S E C T I O T E R T I A

*Non parat aures, ut audiat, sed flagellum, quo feriat  
verba nec facit, nec recipit; nec enim sedet  
judicans, sed insequitur puniens.*

**C**ontra facinorosos, quorum manifesta est culpa, non est opus ulteriori discussione judicii, ut infligatur

pœna ; iis quos culpa manifesta convincit, non est ultra, prætextu judicii, concedendus cavillationibus locus, sed statim debita pœna est infligenda, ne ut sœpè contingit, si protrahatur punitio, impunitus evadat excessus; siquidem non est culpa tam gravis, quæ patrocinatorem non inventiat. Non tamen patrocinatores, sed Nundinatores sunt nuncupandi, qui manifestas culpas patrocinandas suscipiunt. Hi profecto illi sunt, de quibus dicitur, *quod excusant excusationes in peccatis*, qui sunt hujusmodi, profectò manifestæ impudentiæ convincuntur, dum publica delicta patrocinari non erubescunt, & judicium subvertere conantur.

### S E C T I O Q U A R T A

*Causam tamen non tacet, quod videlicet domum orationis, negotiationis fecissent.*

**D**Uplici titulo infligitur pœna delictis, ad justitiæ satisfactionem, & ad aliorum correctionem: ut ex pœna dælictis constituta edocti, & perterriti discant homines cautius incedere, & à similibus culpis abstinere; sed nihil proficeret ad exemplum populorum, pœna reis inflata, nisi innotesceret culpa. Licet itaque Christus non federit in Templo judicans contra Nundinatores, quorum publica culpa non egebat ulteriori formalitate processus, sed infuscatus sit puniens; causam tamen non tacuit, quod videlicet domum orationis, negotiationis fecissent.

### S E C T I O Q U I N T A

*Ergo & tu fac similiter.*

**P**roponitur Pontifici exemplum Christi, ut deinde ad exemplum Pontificis, reliqui ad quos spectat zelari decorem domus Dei, faciant similiter. Debet enim Pontificis vita, ceteris Prælatis esse norma vivendi, sciens quod qui-

quicumque fuerint illius mores , similes instituere cæteri  
præfules affectabunt : *Laßtantius lib. 4. Quia mores , &  
vitia Principis imitari , genus obsequii videtur.*

## S E C T I O S E X T A

*E rubescant vultum tuum istiusmodi nego-  
tiatores , si fieri potest .*

**P**rincipem , qui Dei vices gerit in terris , divina at-  
tributa opus est æmulari , quantum cum humana im-  
becillitate compatitur ; itaut bonis amabilem , inquis au-  
tem ità severum se exhibeat , ut ejus vultum erubescant ,  
& timeant facinorosi , diligent innocentes . Dignam Prin-  
cipe faciem , comitas severitate admixta componit : cæterum  
utilior est benigna majestas in Principis vultu , quàm ni-  
mia affabilitas ; hæc enim dat vitiis licentiam , illa frenum  
imponit . Majestas Principis vocatur *eloquentia vultus* , quæ  
efficacior est ad suadendum , quàm prolixa oratio . Non  
enim tantum quid dicat , sed quo vultu loquatur Princeps  
attendant subditi . Debet Princeps loqui non tamquam ho-  
mo privatus , qui eloquentia indigeat ad persuadendum ,  
sed tamquam Superior , qui jus habet ad imperandum :  
quidquid loquitur Princeps , si cum majestate loquatur , ef-  
ficax est . Optimus subditorem liber est Principis vultus ,  
ex cuius benigno aspectu , boni ad meliora excitantur , &  
ex ejusdem severiori facie , mali perterriti , in malis persi-  
stere erubescunt . Æquè amabilem populis Principem red-  
dunt benignitas , quàm affabiliter bonos admittit , quàm se-  
veritas , quàm malos insequitur ; sicut æquè odiosus esset ,  
si tām bonis , quàm malis indiscriminatim affabilis , vel  
utrisque semper severus adesset .

Duo præcipua sunt munimenta magnitudinis Regiæ ,  
quæ verendum populis Principem faciunt , Virtus , exter-  
nusque morum Decor . Inter virtutes regias , quæ Princi-  
pi autoritatem conciliant , enitere debet exacta sacrorum ,

&amp; re-

& religionis cura ; in suo vita cursu morum æqualitas , & conscientia ; dexteritas obsecundandi temporibus ; maturitas in deliberando ; celeritas in exequendo ; constantia in agendo ; in promissis veritas . Debent Principes ita manifestatem cum benignitate componere , ut una aliam non excludat . Majestas enim populos ad timorem , humanitas ad amorem inclinare consuevit .

### S E C T I O S E P T I M A

*Si non , timeant , & tu flagellum tenes.*

**D**ifficile est populis dominari , quos penè timor non coercet à culpa . Sæpe impunitas uni delicto concessa , plurium delictorum feracissima fuit ; ubi morbus ferrum , & ignem exigit , misericordia est non parcere : *Seneca lib. i. de Clemen. cap. ii. Tam omnibus parcere crudelitas est , quam nulli .* Quamvis improbi homines , ibi nomen crudelitatis imponant , ubi pro amore disciplinæ , facinorosi debito condemnantur supplicio ; attamen tandem aliquando , Boetii sensui acquiescere coguntur : *lib. 4. de Consol. Fæliciores esse improbos supplicia luentes , quam si eos nulla justitiae pæna coercent .* Ubi culpa gratiam non admittit , Princeps qui flagellum tenet , ut timeant facinorosi , cedere debet locum justitiae , non gratiæ . Sæpè adsunt in aulis , qui ut ostendant , quantum apud Principem possint , & valeant , gratiam expetunt in causis , quibus nullatenus potest gratia favere . Hanc quorundam Aulicorum importunitatem detexit Theodosius Imperator , qui ad Principum eruditionem scripsit in Codice . *Sæpè in nonnullis causis , inverecunda petentium inhibitione Principes constringuntur , ut etiam non concedenda tribuant .* Meminerit Princeps se hominem esse , ut compatiatur subditis delinquentibus , cum gratiam interponere potest . Sed etiam se Judicem , & vindicem malorum à Deo constitutum fuisse non obliscatur , ut cum necessitas exigit , iustitia ,

stitia, non gratia locum habeat. Necesse est condolere naturæ, sed etiam necessarium est legi suffragari.

Verum regimen utrumque affectum complectitur, rigorem scilicet, & dulcedinem: sed cum difficile admundum sit, meditullium ad apicem, inter rigorem, & dulcedinem custodire, questioni aditus reseratur, an satius sit ad dulcedinem, vel ad rigorem propendere. Quidquid tamen rigor in suum adsiscat suffragium, naturam scilicet humanam, ad libertatem inclinantem, facilius rigore, quam dulcedine contineri, & subditorum insolecentium numerum, qui nonnisi rigore ad bonam frugem reducuntur, obedientes excedere; nullum esse bonum pastorem, qui sine virginè incedat; Superioris indulgentiam contemptum generare in subditis: Nihilominus, satius esse pro bono regimine, superiore ad dulcedinem potius, quam ad rigorem inclinare, longa probavit experientia, cum æquè boni, ac discoli, vota sua pro dulci regimine exhibeant. Dulcedine potius, quam rigore continentos esse subditos, Christus verbo docuit, & exemplo; & quamvis discoli dulcedine superioris abutantur, rigidum regimen æquè bonis, ac discoli se facit exosum, facilisque dulcedine, quam rigore, ad bonam frugem reducuntur perversi. Vera superiorum dulcedo, non intendit excessibus aditum referare, sed cohibere; Allicit mansuetudo etiam perversos, rigor vero non raro, etiam bonos pervertit. Excellentes Sancti, perfectiores Politici, rigori dulcedinem præferendam esse docuerunt. Difficile est in humano regimine, sine mansuetudine bene se gerere. Omnia ferè Sanctorum hic fuit unanimis sensus, efficaciem eis ad persuadendum dulcedinem, quam rigorem; dulcis Superioris affectus inviserat sibi subditum, etiam perversum.

### S E C T I O   O C T A V A

*Timeant Nummularii, nec fidant in nummis, sed diffidant;*

*dant, abscondant æs suum à te, scientes effundere, quām recipere paratiorem.*

**A**Liud Nundinationis genus, cui fortiter resistendum, quodque in Ecclesiæ damnum fortè deterius invalecit, illud est, quod aliqui fidentes in nummis, dum ministros, paratos potius recipere, quām effundere animadvertisunt, exhibitæ pecuniæ, à debita suis excessibus poena se redimunt, & ut gratias obtineant, supplent profusione auri, quod ipsis deficit de ornatu virtutis. Timeant ergo nummularii, nec fidant in nummis, sed diffidant, abscondant æs suum à Principe, scientes eum effundere, quām recipere paratiorem. Nullibi graviores excessus perpetrantur, quām ubi nummularii fidere possunt in nummis. Paratior recipere, quam effundere nummos fuit Theodardus: *Sigonius de Regno Italia lib. 10.* Sub cuius imperio, adeò excreverat nummulariorum audacia, ut ubique cædes, ubique rapinæ, ubique adulteria committerentur. Noverant siquidem subditi oblata pecunia Principi, paratiori recipere, quām effundere, à quacumque poena se facile posse redimere. Cum autem successor ejus Totila, paratior effundere, quām recipere nummos, debitam cuicunque delicto infligi poenam, absque ulla spe redemptionis, in assumptione ad regnum decrevisset; ideoque militem, ob violatam pueram, capitali sententia puniri vellet, factus est in toto exercitu tumultus, ægrè enim ferebant milites, similibus culpis assueti, inflictam poenam; sed in sua sententia persistens Imperator, ab avaritia alienus, sic exercitum est affatus. *Eiusdem ingenii esse delicto se obstringere, & delictorum supplicia impedire, omnino autem, aut hunc penas dare, aut Gotorum regnum interire necessè;* Factumque est; & cum milites Principem paratiorem effundere, quam recipere nummos novissent, didicerunt timere nummularii, & ab excessibus abstinere. Impunitas fit licentia scelerum: impunita delicta parant regnis exitium. Utinam semper absint à ministre-

nisteriis, à tribunalibus viri paratores recipere, quām effundere. Si quis iudex declinavit post avaritiam, accepit munera, protinus de eodem potest inferri, quod pervertat judicium; undē & in lege præcipitur: *Exodi 23. 8. Ne accipias munera, quia excœcant etiam prudentes.* Nam ubi muneribus inhiatur, consequens est, ut sicut iudex hunc acceptā mercede justificat, sic illum, qui nihil dedit, affligat. Judicis mens percepti muneris conscientia, debilitat judicialis censuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem, & si judicii rectitudo in eo, qui aperuit manus ad munera non adimitur, saltem judicandi authoritas enervatur.

## S E C T I O N O N A

*Hoc studiosè, & constanter agendo multos lucrificies, turpium sectatores vitiorum, honestioribus officiis vindicando, multos ne vel audeant hujusmodi attentare servabis.*

**C**um subditi Principem à vitiis alienum, & virtutum cultorem compererint, facile ad virtutis semitam revertuntur. Nihil sic revocat subditos à malo, quām constantia Principis in bono: nec possunt subditi non erubescere in seipsis, quod Principi exosum animadverterint. Ad Principis exemplum componitur populus: *Nam vita Principis censura est, ad hanc dirigimur, nec tam imperio opus est, quam exemplo.* Hæc est Principum conditio, ut quidquid faciunt præcipere videantur. Boni Principis vita, bonitatis quædam præscriptio est.

## S E C T I O D E C I M A

*Adjice illud, quod non parum proficiet, & ad ferias, quas tibi suadeo. Ita nempè non pauca tibi momenta temporum redimes, ad vacandum considerationi, quædam, ut dixi, negotia nec audiendo, quædam aliis committendo;*

To. I.

X

que

que tua digna putaveris audientia, fidei quodam, & accomodo ipsi cause compendio terminando. De qua consideratione his addere aliqua cogito, sed sub alterius sane principio libri, ne duplo te oneret minus suavis oratio, si & longa fuerit.

**B**reviter hic repetit S. Bernardus modum, quo se debet gerere Pontifex circa judicia, cujus observantia, opportunum pro studio considerationis tempus exhibebit. Scilicet si non omnes causas suscipiat, si aliis partim excutiendas committat, si quæ solum sunt Pontificii muneric perficere studeat, nec manum mittat in messem alienam, si solas gravioris momenti causas discutiat, si quæ potius cavillationes sunt, quam lites, non modò non audiat, imò neque admittat. De quibus omnibus in præmissis sufficienter sermo est institutus; nam coram Magnatibus sermo brevis competentior est. Apud Majestatem, tutius est silentio, quam loquacitate periclitari. Oratio quò minus suavis, si & longa duplò onerat auditorem.





SANCTI BERNARDI ABBATIS  
DE CONSIDERATIONE  
LIBRI SECUNDI  
C A P U T I .  
S Y N O P S I S .



*Pologiam instituit S. Bernardus ob infelicem successum expeditionis, in Terram Sanctam suscepit. Maledicas linguas insequitur, & funestam temporis sui calamitatem deplorat. Graves rerum adversarum eventus, partim peccatis nostris, partim occulto Dei, & inscrutabili judicio, adscribendos esse persuadet. Seipsum à quorundam calumniis modestè vindicat, atque religiosè excusat. Digressionis, ab argumento considerationis sibi proposito factæ, rationem reddit. Docet quomodo considerationis studium deceat Romanum Pontificem, qui parem non habet super terram, quem iterum consolatur de infeli expeditione suscepta, contra Saracenos; probat bonam conscientiam optimam esse Apologiam. Ceterum mavult se peti maledictis, quam Deum,*

*pro quo libenter gloriatur sustinere opprobrium. Concludit veram hominis gloriam, Consortem Christi esse in opprobriis.*

### SECTIO PRIMA

*Memor promissi mei, quo ecce jam aliquandiu teneor  
apud Te, vir optime Papa Eugeni, volo  
ipsum absolvere, vel ferò.*

Cum S. Bernardus ab Eugenio rogatus; libros scripsit de consideratione, sicut constat ex ejusdem præfatione, ad quinque libros præmissâ, memor promissi, properat promissum absolvere. Vir siquidem probus æque stat promissis, ac juramento sanctis; cautè promissa exhibenda, quæ ut plurimum nunc temporis facilius retractantur, quam adimpleantur: aut non promittendum, aut sanctè servandum, quod spontè promisimus. Non magna quidem hominibus promittenda, sed magna facienda esse, dicere, consueverat Phocion. Priusquam promittas delibera, & cum promiseris facies; promittere enim, & non facere, fallere est. Sed jam sæculi nostri vitium commune esse perhibetur, quod suo ævo scripsit Petrarca: *Nunc nec promittendi modus est, nec promissa frangendi pudor ullus.* Cum tamen certum sit, quod nihil sic decet hominem probum, quam stare promissis; nihil sic laedit decorum honesti viri, quam promissorum violatio. Illa solummodo promissa non servanda, quæ non sunt ipsis utilia, quibus illa promiseris, vel tibi plus noceant, quam prosint, cui promiseris. Cæterum honestius est petita negare, quam dato promisso, terminum termino addere; siquidem solutioni promissorum, longos terminos dare, nihil aliud est, quam callidæ negationi tempus nancisci.

Inveteratus usus, imo potius abusus est apud eos, qui muneribus inhiant, multa promittere, & pauca reddere, vel non nisi post diutinas moras, promissa adimplere. Nunquam esse potest beneficium, cuius dilatio cruentat

ciat expectantem . Aluntur non raro magnarum spe promissionum , adventantes ad Curiam , ubi apud plures nullus promittendi est finis ; promissionis escà captantur advenæ , diuturna mora succumbentes expensis , quibus fatigati , vacui revertuntur ad propria , solà spei sarcinâ onusti : aut non promittendum , aut citò , & fideliter servandum quod promisimus : pudeat dilationis , quandocunque consciî sumus incuriæ , in adimplendis promissis . Idem est ac decipere , promittere , & non adimplere .

## S E C T I O S E C U N D A

*Puderet dilationis , si mihi conscius forem incuriae ,  
vel contemptus .*

**N**on tam stare promissis , quam promissa citò absolvare , probum hominem decet ; qui per incuriam serò attendit , quæ citò promisit , de illato beneficio facit injuriam , & ubi duplici titulo , quis sibi potest alterum obligare , non tam ratione promissi , quam per expeditum promissionis datae implementum ; per longam moram eum potius exasperat , quam liniat , cui se promisso obligavit . Satius est non promittere , quam promissa , aut nunquam , aut serò adimplere . Pudeat itaque dilationis quemcumque sibi conscium contemptus . Promissio facta , sed non observata , obstruit aditum gratiæ , quem forte per aliam viam sibi reseratum inveniret , qui pro gratiâ accedens , fuit à promissione non observatâ deceptus ; ita ut damni , quod sèpè quis patitur , ob gratiam non obtentam , sola sit in causa promissio non observata : proinde multò satius est non , promittere , quam promissa non adimplere .

## S E C T I O T E R T I A

*Non ita est , sed incidimus (ut ipse nosti) in tempus grave , quod & ipsi penè vivendi usui videbatur indicere cessationem , ne dum à studiis .*

Cum

**C**um infeliciter cesserit expeditio in Orientem, horatatore S. Bernardo suscepta, hinc contrà Virum sanctum, calumniæ multæ excitatae, quibus calumniis Apologeticum opposuerunt Scriptores celeberrimi; Videatur proindè Gaufridus lib. 3. *Vita S. Bernardi*; legatur Otho Frisingensis *de Gestis Friderici lib. 1. cap. 60.* Expendatur Baronius anno Christi 1148. Item Guillelmus Neubrig. lib. 1. *de rebus Angliae cap. 20.*, qui omnes, de causis infelicitatis exitus sacræ expeditionis, luculenter scripsierunt; Ex his, aliisque eruditis Scriptoribus, constat perperam murmuratores contrà Virum Sanctum contexuisse calumnias, quasi S. Bernardus, in prædicanda sacra expeditione, temeritate, aut levitate peccaverit.

#### SECTIO QUARTA

*Quasi verò temeritate in opere isto, aut levitate usi simus &c.*

**I**nscrutabilia iudicia Dei, quapropter irrationaliter calumniatores maledictis Bernardum impetunt, quasi temeritate sit usus, in prædicanda expeditione sacra, quæ postmodum miserabiliter cessit, quandoquidem, sicut scriptum est; *propter peccata veniunt adversa*; Quantis fuerit miraculis illustrata prædicatio sacræ expeditionis, à Santo Bernardo, Summo Pontifice jubente, assumpta, usque in præsens testantur urbes, quæ eundem Sanctum Virum Concionantem audierunt; quod autem infeliciter cesserit hæc expeditio, tot confirmata mirabilibus, non est humanæ imbecillitatis scrutari; iudicia Dei Abyssus multa. Quia verò ausa est humana temeritas reprehendere, quod & comprehendere non valebat, humiliter se ab illatis calumniis purgat S. Bernardus, afferens se in hoc opere prædicationis suæ, temeritate non usum, neque cucurrisse quasi in incertum, sed jubente Summo Pontifice, imò per ipsum Deo, ad opus prædicationis sibi injunctæ, se se accinxisse.

Con-

Confutum pluribus S. Viris , se se humiliter purgante ab illatis calumniis , tunc maximè , cum notz , quibus impetebantur , non tam in proprii , quam in Divini honoris detrimentum cedere videbantur . Plura hac de re , in Sanctorum gestis , est colligere exempla , & sicut Deus ipse ait , *Honorem meum nemini dabo* , ita Sanctissimi Viri ab illatis iniuriis se se vindicare consueverunt , cum per easdem , non tam seipso , quam Deum peti maledictis agnoscerent ; Compertum in hoc casu S. Bernardo , de infructuosa expeditione , populum maledictis Deum impetrare ; Ideo vir Sanctus , ut obstrueretur os loquentium iniqua , & ut non tam sua , quam Divinæ causæ patrociniaretur , præsens Apologeticon scripsit ; nec tam seipsum , quam Deum exercituum , à maledictis vindicare studuit ; potissimum ostendens , populi electi exemplo , quem Deus per Moysen eduxerat de terra Ægypti , non autem in terram promissionis introduxerat , quod sicut exercitus ille cecidit propter iniquitatem suam , ita etiam Christianum exercitum , similibus Hæbraici populi iniquitatibus coquinatum corruisse ; ideoque frustrè Ducis temeritati imputari inopinatum eventum , qui Deo jubente populum de terrâ Ægypti eduxerat ; quemadmodum S. Bernardus Christi-Vicario imperante , sacram expeditionem prædicaverat . Quid enim interest , an quis Deo , vel Christi Vicario jubente , operetur ; Divinæ resistit ordinationi , qui constituto ab Ecclesia Principi non obedit . Ut ergo Pontifici , imò ut per ipsum Deo pareret S. Bernardus , segregatus ad opus Apostolicum , ad quod saerat à Deo per Summum Pontificem assumpsus , Galliam , Italianam , Germaniam peragravit , ubi congregato numerosissimo populo , etiam ipsum Conradum Imperatorem , Fridericum Juniorem Conradi nepotem , plurimosque alios Principes , & Duces sacro exercitu aggregavit . Domino ubique cooperante , & Sancti Viri sermonem confirmante sequentibus signis , quæ tot tantaque fuerunt , ut eadem perstriaturus Gaufridus ; vita S. Bernardi Scriptor lib. 3. cap. 8.

hæc

hæc verba præmiserit. Ne videatur in immensum processisse narratio, exempla pauca subjicimus; illud etiam è regione monentes, nè forte tam breviter scribi opera tanta miretur. Siquidem multa in tam brevi fieri vidimus, ut tam celeriter ea proloqui nequeamus; & cum dici soleat nihil esse facilius dicto, huic tamen Dei famulo, per gratiam, quam acceperat, signa facere magis facile videbatur, quæ nobis facta narrare: & hæc sufficient, ut videat lector, quot, quantisque miraculis, Deus servi sui prædicationem confirmaverit, qui scribente Roberto Bellarmino venerabili Ecclesiæ Purpurato; pluribus claruit miraculis, quæ ullus Sanctorum, quorum vitæ scriptæ extant, & testante Baronio: Fuit verus Apostolus missus à Deo, potens opere, & sermone, illustrans ubique, & in omnibus suum Apostolatum sequentibus signis.

<sup>151</sup> Quod nihilominus sacra illa expeditio, tot illustrata miraculis, infaustum (hominum judicio) sortita sit exitum, absit, ut hinc murmur fiat in populo, sed venerari opus est judicia Dei; Dei inquam, quo jubente, reliquæ Tribus accinctæ ad ultionem Beniamin, qui tamen peccaverat, semel, & iterato ceciderunt; sed jam tertio repetito prælio, cecinerunt victoram. Quid credere est dicturos de S. Bernardo maliloquos, quandò eundem audiissent, non tertio, sed secundò tantum, suadentem repetere iter, & prælium, in quo semel frustrati fuerant præliantes Catholici; utique sermones eorum fuissent jacula in S. Virum. Utinam etiam esset, qui nostro ævo accingeretur robore, & zelo ad inflammandum Christianorum corda, ut instruerentur gladio, repeterent prælium contra Saracenos, & tollerent sanctum de Canibus, ne loca, ubi Redemptionis nostræ sunt operata mysteria, profanis ritibus contaminarentur. Quis scit si secundò, vel tertio repeteretur à Christifidelibus prælium contra Turcas, an etiam tandem essent victuri, sicut de Tribus, contra Beniamin præliantibus, narratur. Quæ gloriosius Christiani Orbis Principes, rebus invicem in pace com-

compositis , feliciusque præliarentur , si studerent dividere Turcarum spolia , & in Oriente unanimiter Principatus , & Regna , juxta congruam unicuique , pro suo labore , & expensis mensuram . Cum Principes excitant prælia , sæpe sæpius ultra militares vires , jus aliud legitimum præliandi non habent , cum sola vis , jam ferè totam Theologiarum bellicarum summam comprehendat , & plus juris habere censeatur ad prælium , qui habet plus virium ; itaut militares vires , jam penè sint ultima ratio Regum . Utinam convenientibus invicem Christiani nominis Regibus , videre contingere dissipationem abominationem Turcarum , stantem in loco sancto , scilicet in Civitate sancta Jerusalem . Utinam , in unanimi charitate conjunctos , videre esset Catholicos Principes , sacræ expeditioni addictos , & ad dissipandas gentes , quæ bella volunt , dirigerent Christianorum copiarum militares , gressus suos . Arduum fortè negotium esse , quis dicet , eniti in id , quod toties in casum aggressi sumus ; attamen non est vir fortis , cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate . Potest Deus exercituum facere , ut persequatur unus mille , & ut mille persequantur decem millia . Deum colimus , si viva fide colimus , qui Deus est exercituum , cuius forti potentiae omnia curvantur imperia . Esto quod sæpè attentatum hoc opus , repetendi civitatem sanctam , sæpe etiam frustratum sit , sic disponente Deo , nūquid ideo non debet homo facere quod debet , quia Deus facit quod vult .

## S E C T I O Q U I N T A

*Sed fortè miraris me prosequi ista , qui aliud proposueram ? Facio non oblitus propositi , sed quod à proposito non judicem aliena , nempe de consideratione , ut memini , sermo mihi ad tuam considerationem , & sanè magna res est ista , & egens consideratione non minimè .*

**A** Pologiæ suæ insistens S. Bernardus , digressionis ab argumento considerationis sibi proposito , rationem redit .  
To. I.

dens, simul, & semel ostendit, non esse alienum à proposito sermonem, quem sub initio hujus secundi libri de Consideratione instituit, de infelici exitu sacræ expeditionis, & consideratione non minimâ egere asserit. Utique utilem fuisse, quantumvis frustratam optato exitu, expeditionem illam, negarit nemo, qui rem altius consideraverit. Ex prædicatione expeditionis sacræ, quæ infelicem, juxta humanum captiuum, sed fælicissimum, juxta inscrutabilia judicia Dei, fortita erat exitum, grave contrà S. Bernardum, quorumdam vel simplicitas, vel malignitas scandalum sumpferat: ad evertendum hoc scandalum, hic attentè animadvertisendum, quibus verbis horraretur S. Bernardus Christifideles, ad properandum contrà Turcas. Excitabat itaque ut in pœnitentiam, & remissionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut suas pro illis animas posituri.

Quantis signis Altissimus prædicationem hanc confirmaverit, paucis exprimi non potest, nàm & eodem tempore scribi cœperunt, sed ipsa demum numerositas scribendorum, & materia, superavit Scriptorem; si tamen ex illa expeditione Orientalis Ecclesia liberari non valuit, meruit nihilominus lætari, & impleri Cælestis Hierusalem: placuit siquidem Deo, tali occasione arreptâ, plurimorum eripere, si non Orientalium corpora à Paganis, Occidentalium animas à peccatis. Quis nunc audeat dicere Deo, quid fecisti sic? aut quis rectè sapiens, illorum magis infortunium non doleat, qui ad priora, vel pejora fortè prioribus, scelera redierunt; quam eorum mortem, qui in fructibus pœnitentiæ, purgatas variis tribulationibus animas, Christo reddiderunt. Cæterum Deus, cui non modò honoris sui, sed etiam sanctorum suorum est cura, ut quamprimum obstrueretur os loquentium iniqua contrà S. Bernardum, & ostenderet hominibus, qualiter Di-  
vo Bernardo, sacram expeditionem prædicanti, Spiritus Sanctus adfuerat, rem totam novo confirmavit, ac declaravit miraculo. Itaque ubi primum, de Christiani no-  
minis

minis dissipatione, intra Gallias rumor intonuit, illuminandum, Dei famulo S. Bernardo, filium cæcum obtulit, contristatus de pignoris orbitate Parens, qui tandem multis præcibus vicit excusantem, & imponens vir Dei puero manum, oravit ad Dominum, quatenus si ab eo verbum prædicationis factæ de sacra expeditione exierat, in illius pueri illuminatione ostendere dignaretur, & protinus exclamavit puer *video, video.* Hoc miraculo, & aliis mirabilibus vindicante Altissimo famuli sui honorem, & sic confirmante, quod opus prædicationis à S. Bernardo assumptæ, fuerat juxta Divinum beneplacitum, licet alienum à communi expectatione fortita esset exitum. Fau-stissimum siquidem expeditio illa, & si non secundum humanum captum, tamen secundum Divinum propositum, exitum habuit; quandoquidem ille, cuius providentia in sui dispositione non fallitur, multitudinem Angelorum, qui de cælo ceciderant, de illis, qui in illâ expeditione mortui sunt, restauravit. Hanc veritatem testati sunt SS. Joannes, & Paulus, Monachis Casemarii, hac de re eosdem Sanctos crebrò apparentes, utpotè singulares illius Monasterii tutelares, interrogantibus; quod & ad solamen S. Bernardi, ad eundem Sanctum rescripsit Joannes Abbas præfati Monasterii in Agro Verulo, Casemarium nuncupati. Sanè ut ait S. Bernardus: *magna res est ista, & magna egens consideratione,* quandoquidem ex hujus expeditionis exitu constat, quām inscrutabilia sint judicia Dei. Ipse est, cuius miserationum non est numerus, qui humanam malitiam, in suam dignatur convertere clementiam. Cum enim Christianorum exercitus, ad mala esset devolutus, nec mereretur, ut Deus perficeret eorum vias, immisit in exercitum afflictiones, quibus purgati milites, non ad terrenam, sed ad cælestem Civitatem Sion pervenire valerent: pænè quotquot in illâ expeditione mortui sunt, adeò latanter mortem oppetiere, ut libenter se potius mori paratos assererent, quām reverti, ne amplius in peccata reciderent.

Res sanè magna indigens consideratione , quòd tantam gratiam hominibus , militiae addicatis , peccatisque coinqnatis dederit Altissimus , ut potius mori eligerent , quam iterum fædari ; ad quam gratiam Deus tot hominum millia , per sacram illam expeditionem perduxit , Mundi quidem , sed non Dei judicio frustratam . Quis frustratum dicere audeat exitum expeditionis illius , quæ tot Cives Cælo acquisivit , qui fortè extra illam expeditionem in peccatis deceperint . Inhiabat exercitus ille terrenæ victoriaræ , superaddidit hoc Deus communi spei , ut triumpharet de baratro .

## SECTIO SEXTA

*Quod si res magnas , à magnis considerari opportet ,  
cui æquè , ut tibi , id studii competit ,  
qui parem non habes super terram .*

**M**agnas magna decent , ex occupationis excellentiâ manifestatur animi operantis nobilitas , ut enim ignem ultrò lucis splendor , & unguentum suavis odor sequitur , ita excellentia opera , excellentem comitantur opificem . Dedeceat nobilem animum in eorum consideratione occupari , quæ levioris censentur esse momenti . *Res magnas à magnis considerari opportet . Solo corpore , non mente teneret super alios fastigium , qui etiam mentem ad magna consideranda non erigeret . Ad protegendos subditos , ad dirigendos gressus in viam pacis , ad inviolabilem sanctionum custodiam , ad promulgandas pro opportunitate temporis leges , ad defendendos innocuos , ad sublevandos oppressos , ad obstruendum os loquentium iniqua , constituti sunt à Deo Principes ; quibus æquè ut ipsis id studii competit ? Hæc suarum considerationum dæbet esse ratio . Considerationes Principis , quæcunque sint , si ad bonum regimen instituendum non collimant , inutiles sunt . Hæc magna , quæ à magnis , scilicet Principibus , juxta D. Bernardi monitum , considerari oppor-*

opportet. Magnos magna decent. Videant Episcopi, an hujusmodi sint considerationes eorum, qui vix sublimati ad Cathedras, nihil minus cogitant, quam de sibi commissa Ecclesia benè instituenda: toti solum addicti, quā ratione augere valeant Episcopalis mensæ proventus; de patrimonio Ecclesiæ ditare nepotes; cæremoniales in aula, plusquam ad aram partes explere; servandæ incolumitati anxiè nimis incumbere. Res magnas à magnis, non vanas, non caducas, non fuitiles considerari opportet. Cum autem ibi S. Bernardus, afferat Summum Pontificem, parem non habere super terram; de summa, & excelsa super omnes, dignitate Summi Pontificis, videndus idem S. Doctor epist. 123. 131. item serm. ad Clericos in Conc. Remensi congregatos: ubi non tam mellifluo, quam nervoso calamo, probat Romanum Pontificem parem non habere super terram.

## S E C T I O S E P T I M A

*Sed Tu secundum sapientiam, & potestatem datam  
tibi desuper, facies de hoc.*

**L**icet S. Bernardus opportunum judicaverit, breve Apologeticum scribere contra eos, qui ex infelici exitu sacræ expeditionis scandalum sumpserant, Romani Pontificis sapientiæ, & potestati, de suborto scando, opportuniorem providentiam remittit; Pontifici inquam, cui cum specialiter adsit Divina sapientia, ut eundem in Ecclesiastico regimine dirigat, omnibus de novo emergentibus in Ecclesia Dei, posse sapienter providere, tot sacerdorum experientia comprobavit. Utinam non essent in Christianâ Republica, qui contendentes sapere, plusquam opportet sapere, dum supremi Pontificis Consilia spernunt, nonnisi insipienter operantur. Utique si ex unius Romani Pontificis oraculo, sicut par esset, emergentibus in causis, penderent Ecclesiæ filii, tot non orirentur scandala.

la, & nascentibus facilius esset obviare. Quàm satius esset pro fælici progressu Christianæ Reipublicæ, Catholicorum fælicitate, & incremento, si occurrente inter Christianos Principes dissensionum fomento, unanimiter supremi Pastoris arbitrio se se submitterent. Ipse fælicius secundum sapientiam sibi datam desuper, bella comprimet, concordiam Regibus daret, tranquillitatem subditis, pacificaret bellantes, componeret litigantes, ad mansuetudinem revocaret iracundos, timorem incuteret protervis, & habbitare faceret unanimes in Christianâ Republicâ.

### S E C T I O O C T A V A

*Non est meæ humilitatis dictare sic, vel sic fieri quidquam.*

**F**uerat Eugenius Pontifex, sub S. Bernardi magisterio edoctus, hunc diù devotum Auditorem in Claraval-le exercuerat; nihilominus eundem alloquens humiliis Pater, veretur discipulo, jam ad Pontificatum assumpto, proindè Magistro Magistrorum facto, suum sensum expōnere; quapropter se totum illius sensibus submittit, qui pridem non nisi à Bernardi sensu pendebat. Noverat si quidem jam venerari in Patrem, quem enutrierat in Filium, revereri ut Doctorem, quem instituerat Auditorem, benè conscientius quod suum non erat: *dictare summo Pontifici sic, & sic esse faciendum*, quippe cui satis erat perspectum, Christi Vicarium, in rebus arduis agendis, quæ ad Dei gloriam, & Ecclesiæ regimen pertinent, habere astitricem divinam sapientiam, à qua dirigitur, ne suis in resolutionibus errori esse possit obnoxius.

### S E C T I O N O N A

*Sufficit intimasse oppertere aliquid fieri, unde & Ecclesia consoletur, & obstruatur os loquentium iniqua.*

Non

**N**on ultra permittitur Aulicis , quos in Consiliarios adsciscunt Principes , quām indicare , quæ ad commune bonum , pro regimine consono , facienda esse compierunt ; Ceterum nunquam debent Consiliarii abundare in proprio sensu : *Quint. Curt. lib. 7. Turbida enim sunt genia corum , qui sibi nimis suadent.* Subditis cum Principe , permittitur quidem innuere quid faciendum , non autem facienda extorquere . Obligat prudentia Principe , ut aurem præbeat Consiliariorum sensibus , non autem ut semper propositis consiliis acquiescat ; & æquè consonum est Principem saniora consilia feligere , quām æquum , Consiliarios meliora proponere ; quibus propositis , relinquendum est Principis prudentiæ , ut faciat quod magis expedire compererit : *Val. Max. lib. 9. cap. 5. Meminerint subditi parendum sibi magis esse , quam suadendum;* ideo sufficit Consiliariis intimasse Princi , propositis in negotiis , quid faciendum , undè , & consoletur Principatus , & obstruatur os loquentium iniqua .

Nihil autem plus dolendum in aulis , quām Principes Sanioribus non acquiescere consiliis , quibus spretis necesse est , ut corruat tota ratio boni regiminis . Quantumvis perspicacis ingenii sit Princeps , sine Consiliariorum adminiculo , non valet in omnibus , quæ ad regimen spectant , benè prospicere . Deus solus est , cuius providentiâ in sui dispositione non fallitur ; Principes , licet Dei imagines sint in terris , homines tamen sunt , & errori possunt succumbere ; quapropter medio Consiliariorum adminiculo , debent regimini providere . Eos proindè feligant in Consiliarios , quorum finem alium non esse noverint , quām Ecclesiæ , & Principatus solamen ; quos vitæ probitas commendat , non quos ex sola juvenili consuetudine , vel peculiari genio stimulante , sibi fecerunt familiares . In hunc scopulum , ut plurimum impingunt Principes , totum deferentes aulicis , quos à juventute sortiti sunt coævos , aut communis inclinatio , eorum genio fecit secundos .

Con-

Consiliariorum selectio omnem excludere debet passionem. Ubi Princeps in aliquo Consiliario vitiorum confusionem compererit, nullum sanum sibi putet inde haurire posse consilium. Quis enim utilem judicet causæ alienæ, quem videt inutilem causæ suæ. Quomodo poterit Princeps judicare eum consilio superiorem, quem moribus inferiorem cognoverit. Supra te debet esse morum probitate, & scientia, cui te committere paras. An ne eum putabis idoneum, ut tibi consilium impendat, quem sibi consulere non valere cognoveris, aut tibi eum posse vacare credas, qui sibi est desidiosus; necessè est ut præstantior sit, à quo consilium petitur; quis enim consultat hominem, quem non arbitratur meliora posse judicare, quām ipse intelligere. Talis esse debet, qui consilium impendit, ut sit ejus sermo salubris, vita honesta, unde consoletur Principatus, & sublevetur in Regimine suo Princeps. Bona consilia vocantur Principatus elementa, & utiliora sunt, quam divitiæ. Quantò utilius Regem Pharaonem Joseph suæ consilio prudentiæ juvit, quām si pecuniam contulisset; pecunia enim unius Civitatis ubertatem non redemisset, & prospicientia Joseph, totius Ægypti per quinquennium famem repulit. Hinc perspectum esse debet Principibus, quantà sollicitudine quærere debeant optimis fulciri Consiliariis, quos in suarum adhibeant curarum solatium: Tunc melior censetur Princeps, cum solus omnia non præsumit: plurimumque laudis acquirit, quoties de negotiis ambigens, ad peritorum consilia revertitur: improvidus est, qui casu vivit, & consilium negligit. Temeritas est præcipitem esse, ubi rerum agendarum pondus consilio indiget; quin imo majorum discriminum in angustiis, ubi Consiliarii, ex diutinâ consuetudine à Principe cogniti, remedium non inveniunt, etiam eorum suffragia sunt exploranda, quorum prudential communis fama commendat; Communibusque in indigentiis, à pluralitate quæri debent consilia, circa quæ postmodum Princeps, secundum sapientiam, & potestatem

sibi

sibi à Deo datam, in melioribus feligendis debet insistere. Quid fieri debeat, tractet Princeps cum multis, quid verò facturus sit cum paucis. Nulla confilia meliora sunt, quamquam quæ magis secreta exequuntur, si semel innotuerint, quamvis optima, ferè sine fructu evanescunt. Tām reprehensibile est, ubi consilio opus est, omnibus se credere, quamnulli. Optimum est servare secretum, sed cum expedit consilium, credere se opus est consulentibus; raro in propriâ causâ, salubris fuit propria opinio.

## S E C T I O D E C I M A

*Hæc pauca vice Apologiae dicta sunt, ut ipsa qualiacumque habeat conscientia tua ex me, undè habeat me excusatum, & te pariter.*

**M**irabitur quis fortè S. Bernardum, calumniis impetratum, se excusare, cum potius videatur, ad sibi illatas injurias, debuisse servare silentium. Sed quia loquentes iniqua contra S. Bernardum, ob expeditionem sacram suo fine frustratam (secundum homines) iniquè etiam contra judicia Dei blaterabant, opportunè S. Bernardus, divini decoris zelator eximius, ad vindicandum Dei honorem, Apologiam scripsit, ex quâ se excusatum probat, & una simul honorem Dei vindicat.

## S E C T I O U N D E C I M A

*Et si non apud eos, qui facta ex eventibus aestimant, certè apud Te ipsum.*

**Q**ui facta ex eventibus aestimant, raro sanum ferre possunt judicium. Sæpè exitus, quantumvis rectò fine intentus, operantis intentionem non sequitur, nam viæ Dei, non sicut viæ hominum; ideo non semper rectè aestimant, qui facta ex eventibus aestimant. Quam-  
To. I. A a vis

vis vera esse possint, quæ proferuntur contra proximi honorem, credenda tamen non sunt, nisi quæ certis judiciis comprobantur, nisi quæ manifesto examine convincuntur, nisi quæ ordine judiciario publicantur. Non enim qui accusatur, sed qui convincitur reus est. Sèpè contigit etiam ordine legali convictos, majori adhibitâ cautelâ, declaratos fuisse innoxios. Hic opportunè locum habet Di-  
vi Hieronymi monitum *Epist. ad Rustic.* *Non est facile malum de perfecta ætate credendum, quam vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis.* Apologiam satis convincentem, pro defensione S. Bernardi, in eos qui audebant de tanto viro loqui iniqua, texebant & ejus vita tot illustrata mirabilibus, sanctificata poenitentibus, commendata prodigiis, nec non ejus vocabulum Abbatialis dignitatis, in quâ jam per plura lustra, ante prædicationem sacræ expeditionis, toto orbi illuxerat. Si itaque juxta Hieronymi monitum: *Non est facile malum de perfecta ætate credendum*, èd minus dicendum, cum vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis. Discant loquaces, ad dictoria proclives, qui nemini parcentes, etiam in viros, quos honorat vocabulum dignitatis, audient ponere os suum, quâm cautè debeant ponere ori suo custodiam, si neque facta ex eventibus æstimanda sunt, sicut in præsenti asserit S. Bernardus; maximè cum eventus subordinati sint divinis judiciis, humano captui prorsus absconditis; quæ veritas pluribus confirmari potest exemplis, à sacra Scriptura desumptis. Moyses educturus Populum de terra Ægypti promissionis terram pollicitus est, eduxit itaque, sed non introduxit. Si quis cum populo Judaico, factum ex eventu æstimare vellet, statim contra Ducem à Deo electum, cum Judæis loqueretur iniqua, dicendo: *Callidè eduxisti nos, ut interficeres nos in deserto.* Cum tamen perspicuum sit, non Ducas temeritatem, sed populi infidelitati, adscribendum esse frustratum eventum; revertebantur enim Israelitæ cum incederent, quandoquidem Ægypti cœpæ inhiabant, dum manna pa-  
sceren-

scerentur in deserto, Dei, & Ducas promissioni, per infidelitatem facti nimis injurii, ab optata proinde introductione in terram promissam, merito fuerunt exclusi. Itaque si facta ex eventibus, non semper estimari debent, neque contra Moysen Judaicus Populus, neque contra Bernardum cruce signatus exercitus, eo praedicante congregatus in Oriente, propter sua peccata dispersus, acuere debuit linguam suam.

### SECTIO DECIMASECUNDA

*Perfecta, & absoluta cuique excusatio, testimonium conscientiae suæ.*

**A**DVERSUS omnes casus sufficit sola conscientia securitas; nihil prodest, si omnes laudent, & conscientia accuset: *Plin. Jun. lib. 1. Nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam deferenda sunt*; bonorum operum, non ex populari opinione merces, sed ex ipsa probitate petenda est: *Perfecta itaque, & absoluta cuique excusatio, testimonium conscientiae suæ*. Benè sibi conscius, non debet moveri convitiis. Conscientiam bonam garrulorum maledicta non vulnerant. Superat conscientia quidquid mali finxerit loquacitas; ideo opus est conscientiam, magis quam famam attendere, falli namque sàpè potest fama, numquam conscientia. Duo nobis sunt necessaria, conscientia, & fama; conscientia propter nos, fama propter proximum. In omnibus dictis semper tacite recurrere debemus ad mentem, ibique interiorem testem, & Judicem requirere. Quid enim prodest, si omnes laudent, & conscientia accuset. Sufficit adversus os loquentium iniqua, opinio bonorum, cum testimonio conscientiae: *Perfecta siquidem, & absoluta cuique excusatio, testimonium conscientiae suæ*.

## SECTIO DECIMATERIA

*Mibi pro minimo est, ut ab illis judicer, qui dicunt bonum malum, malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.*

**V**Iro probo pro minimo esse debet, si ab illis judicetur: qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Moveri, & commoveri debemus, si de nobis Marius, si Cato, si Leilius, si Scipio malè loquerentur, non autem si effutiant, qui assueti sunt dicere bonum malum, & malum bonum, qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem. Hoc inveterato morbo, ferè semper laboravit omnis ætas, ut etiam in pravum extorqueat sensum, quæ à recta intentione operantis cohonestari potuerunt; undè non mirum, si dicere consueverit bonum malum, & ponere lucem tenebras. Quapropter de popularibus dicterioris nihil curandum, dummodo conscientia nostra in tuto quiescat, & in conspectu Domini, qui solus novit intima cordis, à labe immunis appareat. In quacumque hominum versemur frequentia, cavendum est, ne alienæ conversationis simus, aut curiosi exploratores, aut temerarii judices, quòd si quid malum perpetratum deprehendimus, neque ideo judicandus est, imò excusandus qui fecerit, ne nostris in judiciis nobis contingat illis adstipulari, qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Facilius enim humana malitia ponit lucem tenebras, quam tenebras lucem.

## SECTIO DECIMAQUARTA

*Et si necesse sit unum fieri ex duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum esse &c.*

**S**anctus Bernardus, vir verè Apostolicus, Apostolorum verum se exhibit imitatem, quandoquidem lætabundus,

bundus, quærit pro nomine Jesu contumeliam pati. Honoris Dei factus itaque zelator eximus, invult opprobria exprobrantium cadere super se, quam super Deum; paratus sustinere opprobrium, operire confusione faciem suam, dummodo linguae maledictæ non irruant in gloriam Dei. Gloriosi milites cicatrices ostendunt, & vulnera ja-stant, quæ pro sui Principis gloriâ suscepérunt; sed quam glorioius Christiano militi, pro nomine Jesu contumeliam pati. In his gloriabantur Apostoli, in his gloriam quære-re debent qui Apostolorum esse gloriantur successores. Videant proindè, occurrentibus in necessitatibus, pro Dei gloria sustinenda, ne recusent inglorii fieri, ut non irruant in gloriam Dei. Timeo multos esse Præfules, qui de pro-pria, non divina gloria solliciti, non erubescant gloriæ Christi propriam præferre, quandoquidem ubi de suæ di-gnitatis, & consanguinitatis decore sustinendo agitur, nullum non movent lapidem; ubi sola nitere potest glo-ria Dei, magna cum segnitie, & indolentia se gerunt. Gloria Præfulis est consortem fieri Christi, cuius illa vox est: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

## D I G R E S S I O

*Exhibens Apologiam vindicantem opus inscriptum: Lexicon-Polemicum, à Dicteriis, quæ contrà præfatum opus pro-fert Liber inscriptus: Nova acta eruditorum publicata Lypsicæ anno 1735. à pagina 160. usque ad paginam 168.*



Iraberis fortè humanissime Lector, me pro-sequi ista, qui aliud proposueram, nempe in libros de Consideratione Commentarii: facio non oblitus propositi mei. Præsentem dissertationem Apologeticam censui oppor-tunum subnectere, non tam ad vindican-dam à conviciis, in libro præfato insertis, parvitatem meam;

meam; quam ad convellendas & enodandas cavillationes, quæ non sine contemptu Conciliorum, & Pontificiæ dignitatis in prænotato libro continentur, ubi inter cætera legitur: *Pontificem tanquam ex tripode loqui, & Auctorem Lexicon Polemici, utpote Pontifici additum, obstriatum, deditum, recipere tanquam Oracula, quæ Romanus Pontifex loquitur.* Mibi pro minimo est, ut ab illis judicer, qui consueverunt linguam suam acuere, vel contra Romanum Pontificem, aut ejus Pontificiæ dignitatis venerabundos. Sed si necè sit unum fieri e duobus, malo in me, tanquam Romanæ Sedi additum convicia evomi, quam in Romanum Pontificem Christum Domini.

Consueverunt, jam pluribus ab hinc lustris eruditii Lypsienses, quot annis promulgare librum inscriptum: *Acta Eruditorum*, in quo ad judicii sui trutinam, revocant ferè omnes libros, qui in celebrioribus Europæ urbibus fiunt publici juris, ut de eorum pondere suum proferant judicium. Appensus est in eorum staterà liber inscriptus: *Lexicon Polemicum* Romæ anno 1734. impressus, & juxta eorum placitum, inventus est minus habens. Nam cum ingenuè scripserit Auctor, *se huic operi viribus imparem manum admovisse*, eadem verba Lypsienses iteratò retorquent in Auctorem. Cum verò vir probus, cujuscumque sit Religionis Professor, dummodo veræ Philosophiæ Moralis documenta profiteatur, debeat abstinere à conviciis, ne illorum morem geramus, qui ubi rationes non suppetunt, ad convicta currunt, ab hoc scurrili more, ut par est, declinantes, stateram ab Eruditis Lypsiensibus productam examinare satius, an æquà lance sit exhibita. Utique Lypsienses, qui quot annis Acta Eruditorum proferrunt, in Republica Litteraria majorem sibi conciliarent laudem, si quoad libros de Religione tractantes, suum proferentes judicium, plus lenitatis, minus aculei adhiberent, non enim à conviciis, sed à ratione eruitur veritas.

Ut igitur Lexicon Polemici, insufficientiam probent,  
præ-

præmittunt ad conficiendum Hæreticorum indicem : Nullum ineptius accedere ingenium , quam in Romano natum , educatumque solo ( qualem esse perhibent Auctorem operis præfati ) hominem Romanæ Sedi addictum , deditum , obstrictum . Si inepti ad opus quotquot Romanæ Sedi addicti , dediti , obstricti , ergo ad hoc inepti quotquot Catholici , & Sanctissimi Viri , qui Hæreticorum Catalogum usque ad sua tempora produxerunt , utpote Theodoreus , Epiphanius , Augustinus , & alii , quis enim S. Romanæ Sedi his Sanctissimis Viris , se magis probavit , *addictum , deditum , obstrictum* .

Juxta communem omnium Polemicorum sensum , censeri debet hæreticus , quicumque cum pertinacia in sententia , Apostolicæ Romanæ Doctrinæ contraria in materia fidei persistit ; hic lapis lidius , quo Catholici ab Aca- tholicis discernuntur : non itaque opus , quemadmodum in sua censura notaverunt Lypsienses , ad discernendum hæreticum , duodecim constituere Canones , & de singulis singulos sciscitare , ad auctorem aliquem in hæreticorum serie conscribendum . Si enim , ut ipsi sentiunt , hæreticorum Catalogum conjecturus deberet eorumdem nomina , & prænomina accuratè discernere , locum , diem , annum Nativitatis indicare ; studia Philosophica , & Theologica recensere ; Errores capitales ex symbolicis eorum scriptis enarrare ; veritati historicæ in litium , & eorum qui struerunt illas commemoratione studere ; errores omnes enodare , Autores optimos , qui errores confutarunt producere , errorum Duces ita indicare , ut etiam dignoscatur an nullos , paucos , vel multos habuerint Sectatores ; qua occasione , quo tempore orta sit hæresis , vel dissipata patefacere , accuratam omnium vel minimarum , quæ hæreticum , atque hæresim circumstant notionum distinctionem exhibere ; jam hujusmodi opus , non esset inscribendum : Lexicon Polemicum , sed magnum Theatrum exhibens , omnes notiones , quæ spectant ad hæreticorum omnium Ortum , Patriam , Nomen , Tempus , Incrementum , studia , errores , objecta , folu-

*solutiones, Propugnatores demum, & Impugnatores.* Ad hoc autem perficiendum, vix diutina plurium hujusmodi labori assidue addictorum vita sufficeret, neque hic fuit Auctoris scopus.

Opera Lexicographa ad perstringendum paucis, quæ pluribus dispersa sunt in voluminibus instituuntur; transgreditur terminos, qui in Lexico prolixas inserit differentiationes. In opere *Lexicon Polemicum* inscripto, auctoris studia ad hoc colimarunt, ut meliori modo quo posset, de omnibus hæresibus, & hæreticis sufficientem notionem exhiberet, ad quam posset recurrere, quisquis alicius hæresis Auctorem, initium, incrementum, cavillationes, cum aliundè jam habuisset perspecta, iterum circa præfata, species excitare desiderans, nec statim posset Auctores, qui prolixius de hæresibus sigillatim tractarunt, habere ad manus, omnia simul in compendium redacta posset in *Lexico Polemico* brevi manu colligere. Sed etiam dato, præscriptas omnes, in sua censura à Lypsiensibus conditiones, esse de unoquoque in hæreticorum serie conscribendo purificandas; hanc Provinciam supposuit Auctor *Lexicon Polemici*, de quo agitur, doctissimos subiisse Viros, ex quorum purgatis operibus, hæreticorum catalogum eduxit: propterea Auctorum seriem, quorum auctoritati adhæsit, in præliminari ad opus exposuit; quæ adhibita caueta, obstruitur os inepte blaterantium, Auctorem *Lexicon Polemici* pro suo placito exhibuisse hæreticorum catalogum, qui Auctor utique, (ut benè notarunt Lypsienses, sed perperam contrasentientes) eos solum inter hæreticos censuit connumerandos, quos Romanus Pontifex in hæreticorum numerum vibrato fulmine detruxit. *Quid Hæreticus sit, ex Romani tantum Pontificis cognovit auctoritate, cuius verba velut Sacrae Scriptura, & velut Oracula dicta recipit, & veneratur.* Ab hoc irrefragabili principio declinant Lypsienses, qui illum tantummodo inter hæreticos conscribendum censem, qui errores Capitales, & consensui dogmatum in sacrosanctis literis divinitus traditorum ad-

ver-

*versantes, pertinaciter tuendo, ac propugnando sacram conturbant Civitatem.* Hujus principii insubstantia, ex eo satis evincitur, quod non omnia credibilia in Sacris literis explicitè continentur, cum etiam plurium articulorum fidei, verbum traditum sit testimonium; proinde non minus qui contra Sacrum Verbum scriptum, quam traditum invehitur, inter hæreticos est conscribendus; & hujus admittendi principii necessitas, ad discernendos hæreticos, hinc magis probatur, quod cum sit manifestum Scripturam Sacram, quoad verum & legitimum sensum, sæpè esse obscuram, ideo consequens est, non posse controversias in materia fidei semper decidere, cæterum simul pars esset & judex; neque *ex eo* quod quis præcisè adversetur Scripturæ Sacræ, potest probari Hæreticus, sed *ex eo* quod quis adversetur Sacræ Scripturæ, in sensu explanato à Romano Pontifice, aut ab Ecclesia, approbante Romano Pontifice, in Conciliis congregata: solus enim Romanus Pontifex, aut Ecclesia in Conciliis congregata, Spiritum habent interpretativum Sacræ Scripturæ, à Christo Romano Pontifici, aut Ecclesiæ in Conciliis congregata concessum. Cum verò qui extra gremium Romanæ Ecclesiæ, suis torpeant in erroribus, nihil auctoritati Romani Pontificis, & Sacrorum Conciliorum deferant, non mirum proinde, si plures, qui revera hæretici sunt, ab hæreticorum catalogo eliminandos censeant.

Hoc stabilito principio irrefragabili, ad discernendos hæreticos, patet quod quotiescumque hæresis aliqua, per auctoritatem Sacri Concilii reprobatur, simul & semel, & per Verbum Dei, & per auctoritatem Sanctorum Patrum convellitur, nam Sacri Canones genuinum Sacræ Scripturæ sensum, & SS. PP. placita eminenter continent; ideo ubi præstò occurrit S. Concilii auctoritas ad reprobandas hæreses, eadem stat pro Verbo Dei; dicente Sancto Bernardo Epist. ad Innocentium, *Cum Ecclesia verba Sacræ Scripturæ vel alterat, vel alternat, fortior est illa positio, quam compositio verborum.* Quem morem sæpè ges-

simus in *Lexico Polemico*, ad reprobandas hæreticales sententias. Hunc morem, suis utique moribus non consentaneum, reprobant in sua Censura Lypsienses, quapropter in eadem scripsierunt: *Commendat quidem Auctores, qui se objecerunt erroribus, sed non meliores, verum eos qui nil recte judicio rationis, omnia vero Concilii Tridentini dede- runt auctoritati, & pro receptis in Romana Ecclesia opin- nionibus, velut stipendiarii milites pugnarunt . . . . Auxit Hæreticos mirum in modum Scriptor, qui quid Hæreticus sit, ex reblâ ratione, & sacris paginis haud didicit, sed ex Romani tantum Pontificis cognovit auctoritate, cujus verba velut Sacrosancta, & velut Oracula recipit, & veneratur. Sed in hoc potissimum gloriabundus Auctor, quod venerabundus Romani Pontificis recipit Oracula. Cæterum nullatenus Hæreticorum numerum auxit, quandoquidem cuiuscumque Hæresis, aut Hæretici notionem, ab uno, aut altero ex probatis Auctoriis, quorum seriei in prælimi- nari ad opus exposuit, se desumptissime profitetur. Neque crediderim Lypsienses gloriari velle se plus sapere, quam sciverint prælaudati Auctores, ex quorum testimonio etiam corruit quod asserunt Critici Lypsienses, nempe Aucto- rem Lexicon Polemici *nomina finxisse Hæreticorum*, vel *Hæresum, antiquatis, vagis, vel incertis appellationibus adhibitis, utpote Anticalviniani, Anticatolici, Antidemo- niaci &c.* Sed ne hic repetamus quæ de præfatis Hæreticis scripsierunt probatissimi Auctores, nempe Gaulterius, Pra- teolus, Gravina, Lindanus, & alii; non modicæ fit admiratio- nis argumentum animadvertere, quod Lypsienses totam ferè animadversionis, de quæ hic agitur suminam, constituunt in quæstionibus de nomine; quapropter improbat nomen *Antiscripturiani*, rectius dicendum asse- rentes à Scriptura *Antiscripturani*. Sed si à Serveto Ser- vetiani, non *Servetani*, à Stancaro *Stancariani*, non *Stancarani* communiter nominantur, non video quarè *An- tiscripturiani* vox ab omnibus Scriptoribus, qui de his Hæreticis differuerunt acceptata, solum male sonet in- aure*

aure Lypsiensium. Neque (ut ipsi ajunt) hæretorum nomina finxit Auctor, quandoquidem omnium Hæretorum notitiam, in suo Opere exhibitam, ab uno, aut altero ex prælaudatis in libri initio Scriptoribus, fideliter desumpsit.

Expungunt etiam quòd aliquando cognomen nomini, & nomen cognomini fuerit in indicis decursu præmissum; verum quidem; sed non inconsultè hoc factum, ut scilicet, qui sub solo cognomine magis innotescunt, facilius inteniantur in indice. De voce *Chille* à qua *Chilliaſtæ* nuncupati, suam pariter promunt sententiam, eò quòd scripsit Auctor *Chille est vox Græca, quæ Latinè significat Mille*. Pro solutione objectionis, videatur quid scripsit Prateolus verbo *Chilliaſtæ*, Scriptor utique, omnium sanè sentientium, opinione doctissimus, à *Chille Græca appellatione dicti, quod mille Latinè significat*.

Ridiculum insuper esse asserunt *Apollonium Thianeum in Hæretorum indice scripsisse*, judicio tamen meo, non ridiculum, sed seria dignum consideratione videtur, Lutheranos Simonis Magi successorem, tanto zelo à calunnia hæresis vindicare. Omnibus notum est hunc Apollonium, Simone Mago extinto, Romam venisse, & Simonis Magi in impietatibus se perfidum Asseclam exhibuisse, maximè in dementandis per præstigia hominibus, quos à Christi cultu avertere conabatur, propterea se Christo coæquare pro viribus studuit; quod si Simon Magus inter Hæreticos ab omnibus computatur, neque ab hæretorum Catalogo excludendum crediderim Apollonium, Simonis Magi discipulum. Nihilominus his omissis contra Lypsiensium animadversiones vindiciis, ex ore eorum Apollonius Thianeus erat inter hæreticos adnumerandus; quandoquidem juxta Lypsiensium sensum, hæreticus censendus est *quicumque sacram conturbat Civitatem*. Nota satis sunt omnibus disfidia, ab Apollonio Thiano excitata, eò quòd se Christo coæquare ausus sit, à Christi cultu homines avertere omnibus diabolicis artibus tentaverit, & tanquam Numen haberi, & credi, nimis temerario ausu præsumperit.

Diabolicos ergo conatus Apollonius adhibuit, *ut sacram conturbaret Civitatem*, ergo in Hæreticorum catalogo, omni jure locum sibi vindicat. Baronii testimonio, certum est omnibus sceleribus contaminatum vixisse Apollonium: virum adeo impium, utique nefas non fuit inter Hæreticos computasse; maximè cum Simoni Mago in impietibus, & Hæreticali doctrina propugnanda successerit. Utique non constat Apollonium suscepisse aliquando baptisma, & hac fortè de causa, Lypsienses negant esse inter Hæreticos computandum. Sed cum Auctoris Lexicon Polemici scopus primarius esset eos recensere, qui contra doctrinam orthodoxam falsa promulgaverunt dogmata, ut eadem etiam ratione breviter convelleret, utique Apollonius non erat reticendus, qui nunquam destitit quoad *sacram conturbare Civitatem*. Sed & Judæi inter hæreticos repositi fuerunt à Divo Augustino, in sermone adversus quinque Hæreses; & D. Thomas afferit, quæst. 22. cauf. 4. art. 6. quod *Judæorum infidelitas, & contumacia potest dici hæresis*: Ergo à fortiori hæresis poterit appellari Apollonii perfidia, qui pro viribus, omnibus adhibitis præstigiis, fidem conatus est convellere catholicam, Christum immediatè oppugnare; quandoquidem Christo se coæquare est ausus, & à Christi cultu, ut homines averteret, omnem adhibuit conatum.

Demum ut melius constet totam ferè animadversionem, à Lypsiensibus contra librum, *Lexicon Polemicum* inscriptum, Vulgatam, esse de nomine, reliquum est in eadem breviter percurrere, quid scribant in subjecta materia: *Unicum vero Lutheri nomen satis habebimus, exempli gratia protulisse, quippe quod unum, in quod inveniatur contumeliosissimè delegisse videtur. Evomit, erubet que de novo antiquata jam diu convicia, quinquaginta à divina veritate aberrationes Divo attribuit viro.* Utique solum quinquaginta propositiones hæreticales, à Luthero promulgatas, se legit auctor refellendas, sed octo supra septuaginta poterat cum Gaulterio recensere, qui nihilominus

nus solum potiores collegisse testatur. Quæ de Lutherò enarrantur in *Lexico*, non sunt adeo antiquata convicia, quin eadem produxerit Alexander Natalis in sua Historia Ecclesiastica, ubi etiam præfatus Auctor profert Lutherum Diaboli fuisse discipulum. Profecto, quæ ratione quis potest vitam Lutheri perstringere, qui duobus jam ab hinc sæculis decepsit, nisi ea colligat, quæ auctores fide digni, de eodem tradiderunt; certè in hoc casu, aut repetenda jam ab aliis scripta, aut pro auctoris placito somnia scribenda. Sed hoc esset hæreticorum morem gerere, qui sèpè struunt de suo calumnias contra Orthodoxos, ut efferant supra id, quod sunt suos Pseudoevangelicos, quemadmodum scribunt Critici Lypsienses *Lutherum Diuum virum* appellantes. O verè divum hominem, qui de seipso perhibet satis cognitum habuisse Diabolum, cum Diabolo multum se habuisse commercium, ac cum eodem non parum salis comedisse! Nonne vir hujus furfuris, non Divus, ut fabulantur Lypsienses, sed diabolicus est nuncupandus? Quod si in Lexico Polemico barbaræ latinitatis vestigia prospexerunt præfati Critici, statim ac in opus, oculorum suorum aciem converterunt, non alienum utique debebant judicium promere Lutheri asseclæ, qui in prævaricationis suæ primordiis, cœpit palam Doctores Orthodoxos irridere, quasi incultos in modo dicendi; & ubi Critici Lypsienses suæ criticæ dissertationis hauserunt primordia, nostræ digressioni finem imponimus. Nunc jam recurrat stylus ad suam materiam, & in ea quæ proposueramus, suo tramite gradiantur commentarii.

## C A P U T S E C U N D U M

## S Y N O P S I S

*Agit de consideratione, quæ primarius fuit horum librorum scopus. Considerationem à contemplatione distinguit, utriusque definitionem adducit, quid utraque sit investigat.*

SE-

## SECTIO PRIMA

*Et primò quidem ipsam considerationem considera.*

**V**Era methodus instruendi auditorem, est proposita facultatis essentiam attente rimari. Ideò S. Bernardus, dum ad considerationis studium hortatur Eugenium, primò ipsius considerationis considerationem proponit, cuius varios gradus, & species, effectus, & utilitates sparsim in his de consideratione libris expendit, ut ex horum intelligentia, quicunque considerationis studio incumbere fatagunt, quasi multipli impulsu stimulati, vehementius eidem se accingant. Considerationis studium omnibus, & in omnibus pernecessarium negarit nemo, qui multipli consideratione omne opus præveniendum esse reflexerit, quandoquidem sine hac præveniente, vix valet humana imbecillitas, laudabile quid operari; unde ad rem monuit ipse Cicero 1. *de Offic.* 2. *de Iucun.* *Priusquam aliquid aggrediare adhibenda est consideratio diligens, in omnibus, quid tempora petant, aut personis dignum sit considerandum.* Consideratio ipsum fontem suum, idest mentem de qua oritur purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat; Postremò Divinarum pariter, & humanarum rerum scientiam confert, confusa discriminat, sparsa colligit, secreta rimatur, verum investigat, verisimile examinat, ficta, & fucata explorat, agenda præordinat, acta recogitat; ita ut sine prævia consideratione actioni se accingere, sit quasi irrationalium animantium more agere. Benè itaque à D. Bernardo, ipsa consideratio consideranda proponitur.

## SECTIO SECUNDA

*Non enim idem per omnia, quod contemplationem intelligi volo.*

Li-

**L**Icet contemplatio , & consideratio soleant pro invicem indifferenter usurpari , imò ut plurimum etiam cum cogitatione , & meditatione confundi ; nihilominus hæc ab illa se jungitur , sicut cogitatio à meditatione discrepat . Sumitur cogitatio pro quacumque operatione intellectus , sed proprius à D. Thoma definitur . 2. 2. q. 180. art. 3. *Respectus animi ad evagationem pronus* , meditatio vero *Intuitus occupatus in acquisitione veritatis* . Est itaque cogitatio secundum D. Thomam . *Respectus animi ad evagationem pronus* . Hinc monet D. Gregorius lib. 2. Moral . *Cogitationes superfluae esse à mente refecandas* , ut *exteriora vitia vincamus* . Nam tantò longius mens à necessariis cessat , quantò inania altius cogitat . Assidua itaque sollicitudine cogitationes , quæ animum ad evagationem inclinant sunt refecandæ , quamvis funditus amputari nequam possint ; semper enim caro superfluae cogitationes generat , quas spiritus ferro sollicitudinis debet rescindere . Mentem humanam cogitationibus non interpellari impossibile est , illas vero suscipere , si bonas , rescindere si malas , prout libet possumus , media Dei gratia , nostra conjuncta sollicitudine ; Quamvis itaque excitatio cogitationum non omnimodi pendeat à nobis , reprobatio tamen , vel electio consistit in nobis . Hæc de cogitatione , quatenus à meditatione , & consideratione discrepat , censui prælibanda . Est autem meditatio : *S. Thom. 2. 2. Intuitus occupatus in acquisitione veritatis* . Contemplatio verò , liber animi contutus in res . Consideratio demum , *processus rationis ex principiis pertingentibus ad contemplationem veritatis* .

## S E C T I O T E R T I A

*Quod hæc ad rerum certitudinem , illa ad inquisitionem magis se habent .*

**E**X allatis definitionibus , non modo colligere est considerationem , vix à meditatione secessi , sed etiam con-

constat, tām considerationis, quām contemplationis definitiones à S. Thoma productas, cum illis coincidere, quas in hoc capite exhibet S. Bernardus: Definit enim contemplationem. *Verus, certusque intuitus animi de quacumque re; sive apprehensio veri non dubia.* Considerationem verò: *Intensa ad investigandum cogitatio, vel intensio animi investigantis verum.* Contemplationis accessus duo sunt, in intellectu unus, alter in affectu, unus in lumine, alter in fervore, unus in acquisitione, alter in devotione. Quisquis considerationis studio inhiat, perspectam habere debet hanc veritatem, quod scilicet mens nostra ad contemplanda interna non perducitur, nisi ab his, quae exterius implicant studiosè substrabatur; nunquam commotioni contemplatio jungitur, nec prævalet mens conturbata conspicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare; nec solis radius cernitur, cum commotæ nubes cæli obducunt faciem; nec turbatus fons respicientis imaginem reddit, quam tranquillis undis naturaliter exhibit, quia quod ejus unda palpitat, eò in se speciem similitudinis obscurat. Et hæc tanquam præliminaria ex oraculo D. Gregorii lib. 5. moral. Desumpta, in eorum gratiam, qui considerationis studio addicti vivere satagunt, præmisimus. Cum verò, ut monet S. Bernardus, soleant pro invicem indifferenter usurpari, *consideratio, & contemplatio*, quarum una ad rerum certitudinum, alia ad inquisitionem magis se habet, vicissim in his libris, mox circa rerum certitudinem, mox circa earundem inquisitionem versatur sermo, magis autem circa rerum inquisitionem, quām circa certitudinem progreditur; quia quod magis proprium est de consideratione, prout à contemplatione secernit, discutere sibi proposuit S. Doctor Mellifluus.

Contemplationis, quam definit S. Bernardus, *apprehensio veri non dubia*, tanta est vis, ut contemplantis mentem ferventi repleat zelo, acquirendi Deo qui eum diligant, ex quo fit, ut contemplantis mens sic succensa, sāpe otium contemplationis, pro studio prædicationis libentissi-

tissimè intermittat , & rursum posita votis , tantò ardenterius redeat in idipsum , quantò fructuosius se intermisisse meminerit ; & vicissim sumpto contemplationis gustu , valentius ad conquirenda lucra , solità alacritate recurrat ; quod pluribus S. Viris , & præcipue Episcopis ( quos contemplationis studium præ cæteris decet ) contigisse legimus . Formosa autem dicitur contemplatio , quæ cælesti fulgens desiderio , scit opportunis horis necessariam actionem sanctæ quieti , & quietem actioni intermiserere . Porrò contemplativi experiuntur , qualiter in hac vita , nil dulcior sentitur , nil avidius sumitur , nil ita mentem ab amore mundi separat , nihil sic animam contra tentationes roborat , nil hominem ita excitat , & adjuvat ad omne opus bonum , & ad omnem laborem , quām gratia contemplationis ; proinde activa , & contemplativa vita sunt invicem contubernales . Est quippe soror Mariæ Martha , ex quo fit , ut contemplativus , dum contemplationis dulce otium intermittit , in luce bonæ operationis se retineat ; Unde non immeritò , si cum Maria , plusquam par sit , contemplationis quieti Pastor animarum indulget , quasi de nimia hac indulgentia Martha conqueritur , eò quòd sentiat ex abundantiori contemplatione Pastoris , ovibus imminere perniciem , quibus sua sollicitudine , ex debito sui muneric penso , prospicere tenetur . Dulcis utique contemplationis gratia , cui vacare debent Ecclesiastici Præfules , qui tamen semper memores esse debent , quod salus , & necessitas animarum sibi commissarum ( prout urgere compererint ) propriae quieti est præponenda . Lucem verò contemplationis impediunt tenebrae peccatorum , & nimis anxia actuum terrenorum cura , à quibus purgandus est oculus interior , contemplationi vacare cupienti . Primus contemplationis gradus est considerare *quid velit Dominus* ; secundus *quām suavis est Dominus quærentibus eum* . Contemplationis adminicula sunt , cor mundum , mens recta , voluntas resignata . Per primum adminiculum contemplans efficitur dignus , per secundum devotus , per tertium ve-

To. I.

Cc

hemens;

hemens; Per primum fit idoneus gratiæ percipiendæ, per secundum fit obvius venienti, per tertium urget morantem. In primo præparatur, in secundo assimilatur sponsæ expectanti dilectum, in tertio properat. Et hæc de studio contemplationis, prælibasse sufficiat.

## C A P U T T E R T I U M

### S Y N O P S I S .

*Considerationis quatuor puncta, quæ potissimum consideranda sunt, designat. Docet qualiter inanis scientia est scire omnia, & nescire seipsum; Proinde patet, quād necessaria sit omnibus ad salutem, sed præcipue Prælatis, ad salutare regimen cognitio sui. Sapiens non est, qui sibi non sapit. Vera consideratio debet incipere à se ipso, & semper in seipso definere. Non modo contra salutem, sed neque præter salutem nihil cogitandum.*

### S E C T I O P R I M A

*Jam quoad considerationis attinet speciem, quatuor, ut occurunt, Tibi consideranda reor, Te; quæ sub Te; quæ circa Te; quæ supra Te.*

**C**onsiderationis quadripartitum objectum ibi à S. Bernardo exhibetur. Hæc nonnisi ad ea, quæ vel *intra*, vel *supra*, vel *circa*, vel *infra*-nos sunt, valet se extendere. Hanc quadruplicem considerationis methodum à S. Bernardo propositam, etiam invenire est apud alios SS. PP. si non explicitis, saltem æquivalentibus verbis expressam, cui studio viriliter insistendum docent, cuicunque veram sapientiam desideranti. Unde S. Chrysostomus tract. de Simbol. lib. 3. *Est primum hominis sapientiam affectantis contemplari, quid ipse scit, quid intra se, quid infra, quid supra.* Et hæc consideratio quadri-

par-

partitum parit fructum , utilitatem sui , charitatem proximi , contemptum mundi , amorem Dei . De hac quadruplici consideratione agit etiam S. Gregorius Papa lib. 23. *Moral.* Hugo lib. 3. *de Anima.*

## S E C T I O   S E C U N D A

*A Te tua consideratio inchoet , ne frustra extendaris  
in alia , Te neglego .*

**H**ortatur Pontificem , ut considerationem exordiatur à seipso , quò enim magis quis cæteros dignitate præcellit , amplioris circa se considerationis habet argumentum . Res utique hac est indigens consideratione , quòd scilicet homines , cum tanta sollicitudine scientiam rerum acquirere contendant , adeò dissidiosi postmodum vivant , in acquirenda propriæ conditionis scientia , nunquam magis desipientes , quam cum plura sciunt , & seipso ignorant , S. Aug. lib. 10. *Confess.* *Eunt homines mirari alta montium , ingentes fluctus maris , & altissimos lapsus fluminum , Oceani ambitum , gyros syderum , & relinquent seipso , nec mirantur .* A nobis sumere debet initium consideratio nostra .

Difficillimum est seipsum cognoscere ; non enim solus oculus , quæ extrinsecus sunt inspiciens , seipsum non valet intueri , sed etiam mens ipsa , satis acutè alienas imbecillitates contemplans , tardior est erga suorum cognitionem vitiorum , ad quorum emendationem non accingimur , quia considerationem à nobis ipsis , ut par esset , inchoare negligimus , nobisque neglectis , frustrà in alia extendimur . Proculdubio , si per ordinatam considerationem , unusquisque ad seipsum conversus respiciat , non requiret quid in aliis reprehendat , sed in seipso quod lugeat . *Incipiat proinde à Te consideratio tua : Hugo lib. 3. de Anima . Nam melior es , si Te ipsum cognoscas , quam si Te neglego , cursus syderum , vires herbarum , complexiones*

*bominum, naturas Animalium, Cœlestium omnium, & terrestrium scientiam haberes.* Multi multa sciunt, & seipso nesciunt, cum tamen summa Philosophia sit cognitio sui; à Te proinde tua *Consideratio inchoet*, ne frustrè extendaris in alia Te neglecto: à Te inchoet, & recollecti primordia, attende media, memorare novissima; prima pudorem adducunt, media dolorem ingerunt, ultima metum incutunt. Considera undè veneris, & erubescere; ubi scis, & ingemisce; quo vadas, & contremisce. Vide ne adjicias adhuc Te ipsum ignorare, eò quod à Te non incipiat consideratio Tua, ne fortè super Te veniat terribilis illa comminatio, quam Sponsus intonat dicens: *Cant. 1. Si ignoras Te egredere, & abi post greges;* etiam post greges abibit, qui sui met seria consideratione neglecta, seipsum ignorabit; Timeat, nè abeat etiam post jumenta, qui desidiosus vivit circa seipsum.

### SECTIO TERTIA

*Quid tibi prodest, si universum Mundum lucreris  
Te neglecto.*

**F**rustrè extenditur in alia, qui seipsum negligit; sicut summæ dementiæ est, ob res leves discrimen ingens subire, ita summæ stultitiæ esset obnoxius, qui incertis eventibus animam suam committeret, quæ teste Apostolo; Thesaurus est inæstimabilis, ut quæ transitoria sunt in hoc mundo lucrifaceret: *S. Eucherius Epist. 1. Summas Tibi sollicitudinis partes salus, quæ summa est, vindicare debet.* Etiam gentiles agnoverunt: *Arist. lib. 7. Polit. Animam pretiosorem esse corpore;* omnibusque aliis bonis, ideo cæteris quibuscumque, animæ salus debet præferri, & nil nobis prodest, si universum mundum lucremur, animæ nostræ neglectæ.

## S E C T I O Q U A R T A

*Et si sapiens, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris.*

**S**ic nomen absque sui cognitione salvari, de qua nimis humilitas oritur mater salutis, & timor Domini, qui, & ipse, sicut initium Sapientiae, ita & salutis est. S. Bernar. serm. 30. in Cantic. Ut ergo, quis sibi sit Sapiens, debet seipsum cognoscere, cum ex hac cognitione oriatur humilitas, quæ est mater salutis; hoc opus est, quod debet omnes sibi vindicare nostræ sollicitudinis partes.

## S E C T I O Q U I N T A

*Quantum verò, ut quidem ego senserim, totum.*

**O**mnia descipit, qui seipsum scire neglit; initium salutis nostræ oritur ex scientia sui. Omnis scientia, quæ ad salutem scientis non dirigitur, supervacanea est. Quantumvis ergo quis sapiat, si sibi sapiens non fuerit, totum illi deest ad scientiam: Boet. lib. 2. de Consol. Humanæ naturæ ista conditio est, ut tantum ceteris rebus, cum se cognoscat excellat, eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit; nam ceteris animantibus se se ignorare natura est, hominibus vitio venit. Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas propria, quam ejus, qui è non perspectâ, mœnia mundi, vias syderum, fundamenta terrarum, & fastigia Cælorum scrutatur. Ad avertendum hoc malum, opus est, sedula consideratione, suimet cognitionem acquirere.

## S E C T I O S E X T A

*Noveris licet omnia mysteria, noveris lata Terræ, alta Cæli, profunda Maris, si te nescieris, eris similis ædifican-*

*ficanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens.*

**N**on multa, sed bona, & utilia scientem, probat scientiarum Dominus; multi dum in cognitione universarum rerum pollere contendunt, in necessaria suimet cognitione deficient; profecto, qui hujusmodi sunt, non sibi, sed aliis sapientes esse probantur; nullatenus sapiens dicendus est, qui sibi non est sapiens. Scientia eorum, quæ extra nos sunt, bona est ad instructionem, sed scientia sui ipsius utilior est ad salutem. Plures numerabis, qui Deo dilecti facti sunt solà scientiæ propriæ infirmitatis, neminem dabis Deo factum acceptum, per solam scientiam externorum: hæc utique commendabilis, si cum scientia internorum augeatur; sed omnino inutilis, quandocumque scientem non instruit, ut bene se noscere discat. Noscere seipsum, primum est totius veræ scientiæ fundamentum, hoc deficiente, qui ædificat, *similis erit ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens.* Prophetæ, Apostoli, & SS. Doctores, qui à Magistro omnium, vias vitæ pleniū didicerunt, & docent nos usque in hodiernum diem, non docuerunt nos Platonem legere, Aristotelis versutias investigare, sed bene vivere. Putas parva res est scire bene vivere; summa rerum est; sed ut scias bene vivere, scire debes te ipsum, & imbecillitatem tuam, passiones tuas discernere, prævalentes moderari. Non vivit, qui superbiæ inflatur, sordidatur luxuriæ, vitiis succumbit, quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, & appropinquare usque ad portas mortis. Scientia itaque bene vivendi, potissima est; scientia saluberrima scire seipsum, & scire Jesum. Scientia mundi inebriat, non charitate, sed vanitate; implet non nutrit, inflat non ædificat, ingurgitat non confortat. Scientiam externorum, quam non comitatur scientia Sanctorum, sequitur tumor, nisi reprimat timor: *S. Bern. serm. 33. in Cant. Advertis. ne jam, quām verum sensit Apo-*

*Apostolus*, quia scientia inflat; proinde opus est hominem antè omnia scire seipsum, quod id postulet ratio utilitatis, & ordinis; Ordinis quidem, quoniam quod nos sumus primum est nobis: Utilitatis verò, quia talis scientia non inflat, sed humiliat, & est præparatio ad salutem; nisi enim super humilitatis stabile fundamentum, spirituale ædificium stare minimè potest. Porrò ad se humiliandum nihil inveniri aptius potest, quam si quis se invenierit in veritate: Tantum non dissimulet, non sit in spiritu ejus dolus. Non ne se ità intuens, clara luce veritatis, inveniet se in regione dissimilitudinis. Quomodo anima non humiliabitur in verà cognitione sui, cum se percäperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam periculis, timoribus trepidam, difficultatibus anxiam, suspicionibus obnoxiam, necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes. Unde huic Animæ, sic cogitanti de se, jam extollentia oculorum; quamdiu anima se ad vivum respiciet, in amaritudine morabitur oculus ejus.

## S E C T I O S E P T I M A

*Quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti  
pulveris, ventis obnoxium.*

**F**Rustrà mentis oculum erigit ad exteriora, qui non dum idoneus est ad cognoscendum seipsum; qui se ignorat, non præsumat ea, quæ extra se sunt scrutari, omnis enim exterior cognitio, interiore neglecta, quid aliud est, quam pulvis ventis obnoxius; sed & sæculi vanitates, honores, divitiæ, & oblectationes, quibus fascinantur ferè omnes, & circa quæ infatigabilis semper insudat humana sollicitudo, instar congesti pulveris esse prohibentur. Mentior si veritatem hanc, quæ nihilominus (licet

( licet satis perspectam ) difficulter convincuntur mortales , quotidiana non comprobat experientia . Solliciti sunt Reges , ut dilatent terminos ditionis suæ ; sanguinolentis agonizant in bellis , quorum fructus ferè nihil est aliud , quām erarii consumptio , subditorum ruina , urbium depopulatio ; quod si victores , capta præda aliquando dividunt spolia , vix partæ victoriæ dulcedinem gustant , cum ludentibus armorum vicibus , gravati à supervenientium bellorum incommodis , tunc quando ditionis suæ terminos ampliasse crediderant , ad maiores redacti inveniuntur angustias . Quid sentire jam libet de illorum victoria , non nisi quòd sit *pulvis congestus ventis obnoxius* . Profecto hujusmodi Regibus , quamvis in ore adulantium , sapientibus , vera non illuxit sapientia ; nam si verè sapientes fuissent ; plus de cælesti Regno acquirendo , quām de terreno ampliando cogitassent , magisquæ quid juris , quam quid virium ipsis suppetaret ponderassent , antequam bella committerent , & priusquam tot flagitiis , quæ indispensabiliter bella sequuntur , conscientiam suam gravarent . Ecclesiasticus quomodo valeat ad altiores promoveri dignitates die , nocteque sollicitus , omnem movet lapidem , ut pinguioris beneficij suos possit facere fructus ; voti sui tandem compos , thesaurizat nesciens , cui congregaverit divitias , quas inopinata superveniente morte , tenetur dimittere . Nonne hujusmodi divitiæ sunt *instar congesti pulveris ventis obnoxii* . Quandoquidem nihil de interiori homine reformando , & virtutum , ut par erat , thesauris sibi comparandis cogitans , ad exteriora bona cumulanda intentus , inter angustias mortis , tandem veritatem hanc , quam in vita percipere neglexit , perspectam habet , quatenus *quidquid extruxit extra se , fuit instar congesti pulveris ventis obnoxium* . Eandem hanc veritatem fateri compellitur , quisquis divitiis , honoribusque comparandis intentus , in exteriora diffusus , in conscientiæ suæ negotiis discutiendis desidiosus , suæ solertiae magis , quam Divinæ providentiæ confidens , dum sibi prospera cuncta pro voto eveni-

evenire congaudet, inopinatò adversâ flante fortunâ, ab honorificis ejectus subseliis, cunctis despabilis factus, etiam ad miseram paupertatem redactus, suo comprobat exemplo, quòd *quidquid extruit homo extra se, erit instar congesti pulveris, ventis obnoxium.*

## S E C T I O O C T A V A

*Non ergo sapiens, qui sibi non est.*

**C**um vera sapientia sit seipsum cognoscere, qui sibi est sapiens, novit seipsum; Humanæ naturæ ista conditio est, ut tantum cæteris rebus, quantum se cognoscit excellat; eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit; nam cæteris animantibus se ignorare natura est, hominibus vitio venit, *non ergo sapiens, qui sibi non est.*

## S E C T I O N O N A

*Sapiens sibi sapiens erit, & bibet de fonte putei sui primus ipse.*

**V**erè sapiens sibi prius, deinde aliis sollicitus vivit, prius studet bona cumulare, deinde diffundere. Ideò verissimum est, quòd *sapiens sibi sapiens erit, & bibet de fonte putei sui primus ipse.* Veritatem hanc fusius dilucidat S. Bernardus Sermone xviii. in Canticâ. Hic opportunè legendus, ab illis maximè, quos tanta urget charitas, ut ultrà mandatum diligent proximum suum, plusquam seipso.

## S E C T I O D E C I M A

*A te proinde incipiat tua consideratio, non solum autem, sed & in te finiatur; quocumque evagetur ad te To. I.*

D d revo-

*revocaveris eam, cum salutis fructu. Tu primus Tibi,  
tu ultimus.*

**P**rosequitur propositum argumentum S. Bernardus, Eugenium docens, quod vera scientia, primò colimare debet ad propriam salutem. Veluti fax, quæ de suo lumine lumen accedit, sed sibi retinet lumen, & faciem, deferenti viam illuminans, concomitantibus etiam proficuum se exhibet. Consideratio quasi fonti artificiali est comparanda, qui perenniter defluens, emissas aquas, suo iterum recipit in sinu, à quo derivant. Quapropter consideratio debet ab ipso considerante exordiri, & in ipso desinere. Quocumque evagetur, ad ipsum considerantem debet revocari, cum salutis fructu. Homo sapiens sic debet progredi in sua consideratione, ut non egrediatur, sic exire, ut non deserat sibi prospicere; considerationi ad dictus *sibi sit primus, sibi ultimus*; est magis cogitare, quid nobis desit, quam quid nobis adsit: *à te proinde incipiat consideratio tua*, quod habes, cavendo ne perdas; *in te finiatur*, quod nondum habes, supplicando ut habeas. *A te incipiat* reflectendo in quantis sis minor, non in quantis sis major. Quantum præcessisti alterum, time tumorem; quantum verò tibi deesse cognoscis, ut alterius virtutem attingas, tantum ingemisce. Cupis intelligere qualis sis, attende qualis non sis. Quisquis ad Ecclesiasticas sedes sublimatur, opus habet summoperè ut *à se incipiat, & in se finiatur sua consideratio*; pensare enim debet hoc sibi præter meritum, & per solam Dei gratiam contigisse; quod si sola pensarentur merita in promotione ad Ecclesiasticas dignitates, plures qui ad primas ascendunt, abjecti essent in domo Dei.

### S E C T I O U N D E C I M A

*Sume exemplum de summo omnium Patre, verbum suum,  
& emitente, & retinente. Verbum tuum consideratio  
tua,*

*tua, quæ si procedit, non recedat, sic progrediatur,  
ut non egrediatur, sic exeat, ut non deserat.*

**E**X prælausatis S. Doctoris verbis, facile colligitur quantum S. Bernardus, non modò mysticis, sed philosophicis polluerit eruditionibus; nam si quæ de verbo mentis inter Philosophos disceptantur, cum præsentibus S. Bernardi sensibus comparentur, nempè *Verbum tuum consideratio tua*, satis patet, nonnisi ab intellectu, in Philosophicis scientiis optimè instructo, posse hisce eruditonibus conditum proferri sermonem. Exemplo summi omnium Patris verbum suum, & emittentis & retinentis, hortatur Pontificem, ita considerationi vacare, ut per hanc progrediens non egrediatur, & ad ea quæ foris sunt procedens, à seipso non recedat. Qui in Ecclesia præficitur, tenetur ex sui muneric debito, ad ea quæ foris sunt per vigilantiam progredi; ut nimirum informetur, an omnia in Domo Dei ordinatè se habeant, an congrua pro suo statu singulæ oves pascua recipient; sed ita debet progredi, ut non egrediatur, ut de animarum salute sollicitus, de sua non sit desidiosus.

### S E C T I O D U O D E C I M A

*In acquisitione salutis, nemo germanior unico Matris suæ.*

**B**Enè ordinata charitas incipere debet à seipso; ubi de animæ salute agitur, unusquisque sibi repetere debet. Memento quod de anima agitur, tuæ fidei commissa. Hæc est Thesaurus incomparabilis, quem in vase fictili possidemus, ergo summas nostræ sollicitudinis partes, anima sibi debet vindicare, in quæ sita est summa rerum; Proinde stulti aliquando sapite, qui sæpe datis unicam animam vestram, quæ nemo vobis germanior, in manu inimicorum ejus.

## SECTIO DECIMATERTIA

*Contra salutem propriam cogites nihil, minus dixi contra,  
præter dixisse debueram. Quidquid se considerationi offerat,  
quod non quoquo modo ad tuam ipsius salutem  
pertineat, respuendum.*

**C**Autè utique agendum in negotio æternæ salutis, quandoquidem, non modo contra, sed præter salutem nihil cogitandum. Omnia quæ agimus, quæ cogitamus, ad animæ salutem non dirigere, est à proposito fine deviare. Proindè quidquid se considerationi offerat, quod non quoquo modo ad salutem pertineat, respuendum. Inutile est, & inane quidquid non perducit ad debitum finem, à Deo nobis constitutum; quidquid contra, vel præter illum offertur, respuendum. Sapienti nihil alienum est, nisi quod suæ æternæ saluti est incongruum. Videant nunc qui Ecclesiasticae militiae nomen dederunt, an contra, vel præter salutem sint cogitationes eorum, qui inter secularia negotia tota die vexantur, & nocte; non modò contra, sed præter salutem, nihil est cogitandum. Ut quid ergo pro temporali qualibet jactura contristamur, si omnes cogitatus nostri versari debent circa æternam salutem. *Sanctus Leo Papa serm. 8. de jejunio. Cavete ne,  
fortè graventur corda vestra cogitationibus secularibus: quod  
utique præceptum ad nos specialius pertinere cognoscimus.* Arduum fortè negotium, arcta nimis via proponitur; si cogitationibus aditus non referandus, quæ non modò sint contra, sed nec præter salutem. Nihilominus arduum nil esse potest in præcepto, ubi salus externa est in promisso. Agè, quod tibi pro tuo statu, & munere agendum est, cum rectâ ratione, & bona intentione, nullumque cogitatum, non modo contra, sed nec præter salutem patieris. Profecto non sic omnes filii hominum non sic, sed permulti animæ suæ curam negligunt, & curam carnis per-

perficiunt in omni desiderio , quoniam peccare non mentiunt ; utinam saltem metuerent puniri. Non saluti animæ , ut par esset , datur sollicitudo nostra , sed valetudini corporis , imò etiam voluptatibus . Dies salutis sunt , non voluptatis , quos adeò inutiliter terimus .

## C A P U T Q U A R T U M

### S Y N O P S I S .

*Notitiam sui ipsius triplici consideratione complectitur in hoc Capite S. Bernardus , Eugenium docens seipsum triplici consideratione cognoscere , nempe quid sit in natura , quis in persona , qualis in moribus . Quād utile , sit considerare , Quid sit homo expendit . De primo hujus triplicis considerationis membro differit , nempe quid homo sit in natura .*

### S E C T I O P R I M A

*Et hæc consideratio tui , in tria quidem dividitur , si consideres . Quid , quis , & qualis sis . Quid in natura . Quis in persona . Qualis in moribus . Quid v. g. Homo . Quis Papa , vel Summus Pontifex . Qualis , benignus , mansuetus , vel quidquid tale .*

**A**D propositum de Consideratione argumentum , jam proprius accedens S. Bernardus , cum de his , quæ intra , supra , extra , & infra Pontificem sunt , disserere proposuerit . De primo hujus Considerationis membro sermonem instituit ; in quo , ut clarius procedat , iterum trimembrem divisionem exhibit , Eugenii Considerationi proponens , *Quid , quis , & qualis sit ; Quid in natura , quis in persona , qualis in moribus .* Sub quā tripartita divisione perstringitur , quidquid circa notitiam sui ipsius , considerandum occurrit .

SE-

## SECTIO SECUNDA

*Quamquam illud primum, Philosophicum sit magis, quam Apostolicum investigare. Attamen est in definitione hominis, quem dicunt Animal rationale mortale, quod diligentius intueri, si libet, licet.*

**H**umanæ naturæ investigare essentiam ad Philosophos proprius spectat, quam ad Apostolicos viros, quorum studium circa moralia versari præcipue debet documenta. Cum tamen ex ipsa naturæ humanae cognitione, morales etiam eruantur institutiones, ideo neque abs re judicat S. Doctor, Philosophicis terminis, de natura humana incidenter differere; Quia vero rerum natura, ex eaurundem definitione innotescit, hominis naturam investigaturus, ejusdem definitionem adducit, qui omnium Philosophorum consensu definitur, *Animal rationale*; in ejus rationalitate, naturæ humanae excellentia, in animalitate ejusdem vilitas complectitur: Quid enim excellenterius, quam intelligere cum Angelis, quid vilius, quam convenire cum animalibus. Quid gloriosius, quam immortalem animam sortiri, quid vilius, quam corruptibile corpus induere; Ad imaginem Dei factus homo ratione potitur, quia vero factus ex limo mortalitati est obnoxius; *Animal rationale mortale*; in rationalitate minutus paulominus ab Angelis, in animalitate comparatus iumentis insipientibus, & illis similis factus. Duo sunt in homine, imago, & similitudo; pertinet imago ad formam, similitudo ad naturam; exprimit homo in intellectu Dei imaginem, in natura Animali, cum cæteris animantibus habet similitudinem.

## SECTIO TERTIA

*Non est quod tuæ in eo, aut professioni obviæ,  
aut dignitati.*

Hoc

**H**oc unum est, in quo omnes pares sumus. Tam  
convenit Principi, quam subdito, tam Pontifici,  
quam infimo Clerico, tam nobili, quam ignobili, tam  
pauperi, quam diviti esse Animal rationale mortale. Ni-  
hil est in animalitate, & rationalitate, quæ omnibus com-  
petit hominibus, quod cujusque obviet professioni, aut  
dignitati; tam qui regnat in solio, quam qui arat in  
agro, *Animal est rationale mortale*. Ex eadem corrupti-  
bili massa compaginatum fuit in utero matris, corpus di-  
vitis, ac pauperis, subditi, ac Principis; iisdem fragili-  
tibus ab ortu, usque ad interitum subjacent omnes,  
quicumque illi sint, de vili materia facti, menstruali san-  
guine in utero matris enutriti; omnes omnes, quotquot  
in hoc mortali corpore vivunt, sunt sperma fatidum,  
foccus stercorum, cibus vermium: tam nobiles, quam  
ignobiles Animal sunt, & consequenter iisdem miseriis  
obnoxii. Nihil ergo habet, unde superbire debeat homo,  
nihil habet, quod suæ obviet professioni, aut dignitati;  
quia cujuscumque hominis est nasci miseria, labor vita,  
mori angustia: omnes sumus in miseriis concepti, inter mi-  
serias Animales parem currimus sortem. Nihil habet ho-  
mo, quisquis ille sit, unde superbire valeat, si benè at-  
tendat, *quid fuit, quid est, quid erit*. Quisquis es, qui  
hanc mortalem fortitus es vitam, si te animal mortale esse  
reflectis, *non est, quod tu in hoc, aut professioni obviet,*  
*aut dignitati.*

#### S E C T I O Q U A R T A

*Est vero, quod saluti adferre queat, nam consideranti duo  
hæc simul; rationale, mortaleque, is tibi exinde occur-  
rit fructus, ut & mortale, quod in te est, rationale,  
humiliet, & rursum rationale mortale confortet, quod  
neutrum neglectui erit homini circumspecto.*

**H**omo quæ mortalis, & quæ rationalis considerandus  
occurrit, ex qua consideratione sequitur, ut mor-  
tale

*tale rationale humiliet, & rationale mortale confortet.* Homo, quà animalis, nihil aliud est, quàm massa corruptionis, ejus dierum paucitas brevi finietur, ita ut si in potentatibus octoginta anni, & amplius sit eorum labor, & dolor. Jugum gravi super filios Adæ, à die exitus de ventre Matris eorum, usque ad diem sepulturæ in matrem omnium: Voluit autem Deus in hoc mortali corpore semper de die in diem calamitates augeri, ut libentius ejusdem solutionem pateremur.

Hominis miseriam, quà animal est, ut perstringamus, cum philosophicum sit de eodem, pro ut animali discurrere, Philosophus ipse audiatur: *Arist. apud Stob.* Homo est imbecillitatis templum, temporis spolium, fortuna lusus, inconstantia imago, calamitatis trutina, reliquum verò pituita, & bilis. Homo quà Animalis eundem exitum habet cum jumentis, quippè & similem habet introitum: *Eccles. 3.* Unus exitus homini, & jumento, ut proinde unusquisque de se dicere possit cum Propheta, *ut jumentum factus sum:* in sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur: ante exitum miseras oneramus matres, in exitu laceramus, cum jumentis cibum partimur, ut quaquaversum dicere unicuique supersit. *Ut jumentum factus sum:* Mortale itaque, quod in nobis est, considerationi nostræ propositum *rationale humiliet*, sed rursum *rationale mortale confortet*, quia homo, quà rationalis agnoscere debet dignitatem suam; constitutus super opera manuum Domini; designatus civis supernæ Jerusalem, futurus Consors Angelorum, Frater, & Cohæres cælestium virtutum. Habet proinde homo, suam considerans animalitatem, & rationalitatem, humilitatis, & consolationis argumentum, ita ut *mortale rationale humiliet*, & *rationale mortale confortet*. Si se mortalem considerat contristatur, sed statim *rationale mortale confortat*, suggerens quòd mors omnibus vitæ calamitatibus finem imponit, & ad æterna gaudia referat adiutum. Nec est quod sortem publicam, privatis quis urgeat

qua-

quærimoniis, dum ex omnibus, vel unum cui invideat, non discernit. Mors nescit imperium, Principes non cognoscit, nemini parcit: hisce rationibus *rationale mortale confortat*, sicut & *mortale rationale humiliat*. Ne enim superbiat homo propter intellectivam potentiam, tot mirabilium capax, ut Divinæ omnipotentia miraculum non immerito possit nuncupari, cujus obsequio omnia deputata sunt animantia, cujus commodo per diem Sol lucet, & Luna per noctem, cujus deliciis terra floret, fructificant plantæ; Ne inquam, superbiat homo, dum se conspicit, præ cæteris creaturis, à Deo in hoc mundo sublimatum, si deinde mortalem se considerat, & parem cum cæteris animantibus exitum se habiturum, statim mortalitatis consideratio rationale humiliat: *Neutrum itaque neglegui esse debet homini circumspecto*, itaut mutua considerationis vicissitudine, dum se mortalem simul, & rationalem agnoscit, *per rationalem mortale confortet*, & *per mortale rationale humiliet*. Si quæ adhuc consideranda præsens requirit locus, tractabuntur infrà, & fortè utilius ex partium collatione.

## C A P U T Q U I N T U M

### S Y N O P S I S

*Cum in Superiori Capite S. Bernardus considerandum proposuerit; Quid homo sit in natura. In hoc Capite alterum considerationis membrum exhibet Eugenio, nempè Quis sit. Necessaria utique consideratio ad plenam sui cognitionem, his præcipiù, qui ad dignitates sublimantur, nám memoria pristinæ conditionis, inter obtentas dignitates, necessariò est retinenda, ad custodiam modestiæ, & humilitatis. Quapropter S. Doctor hortatur Pontificem, & cum ipso omnes in honore constitutos, ut attendant quales sint, & undè ad altiora sublimati, ad Prælaturas To. I.*

*assumpti, ita ut suæ primæ professionis, ac pristinae conditionis nunquam obliviscantur.*

### S E C T I O P R I M A

*Nunc quis sis, & de quo sis factus advertendum.*

**D**ifficulter homo *quis sit*, & *de quo sit factus*, potest discernere, & difficilius seipsum cognoscere, si sublimatus in folio, ambulat in magnis, & in mirabilibus super se; quod ut præcaveret Rex David, enixè præcabatur: *Non mibi veniat pes superbiæ*, unde & dicere potuit: *Non ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me*. Non à celsitudine dignitatis, sed ab humilitate propriæ conditionis, debent motus suos commensurare, qui sinceram sui cognitionem investigare desiderant, hæc cognitio socia fidelis est, quæ tutò potest gressus nostros dirigere in semitam rectam. De quo sit factus, unicuique advertendum, ne caligare valeat oculus mentis. Sed quotquot vivunt, factos esse ex luto, ignorare non possunt. Quomodo igitur superbire valeat pulvis, & cinis, quantumvis mundanis splendoribus circumseptus. Serici panni, aurum, & gemmæ, purpura, & byssus, quibus ornantur divites sæculi, operire possunt corpus, non ejus conditionem nobilitare; semper enim hoc vas fictile, sive laceras, sive nobiles induat vestes, est massa vermium, pulvis, & cinis. Medicina simul, & mysterium Divinæ Sapientiæ, sicut luto aperire oculos cæci nati, ad hoc ut eodem medicamine unusquisque liniat suæ oculos mentis, eosque aperiat, animadvertens de quo sit factus; facile est excæcarî inter regios fastus, superbarum cogitationum feraces: ad hanc cæcitatem avertendam, nullum sanè efficacius remedium Principi potest exhiberi, quam si comoneatur, *ut quis sit, & de quo sit factus* advertat.

## S E C T I O S E C U N D A

*Quamquam, quod dixi, de quo, id mihi prætereundum  
putem, & tuæ potius relinquendum cognitioni.*

**L**icet nemo satis sibi sit conscius, noverat tamen Sanctus Bernardus Eugenium sibi innotescere, nam pluribus annis, in Monacali instituto, sub suâ disciplinâ huic studio propriæ cognitionis serio addictum exercuerat. Quapropter de quo factus esset Eugenius, eundem instruens in his de Consideratione libris prætereundum, & ejusdem potius considerationi relinquendum esse censuit hoc considerationis membrum. Quisquis serio se intra se colligit, de quo sit factus sufficienter ex se discernit. Quis enim ratione compos ignorare valeat, quod sit factus ex humo.

## S E C T I O T E R T I A

*Illud dico indignum tibi citrâ perfectum agere, de tantâ  
assumpto perfectione.*

**C**ommune omnibus debitum est, qui inter Christi membra computantur, perfectionis semitam incedere, ne sub perfectissimo capite, imperfetta torpeant membra; ideo nos omnes prædestinavit Deus conformes fieri imaginis filii sui. Sed in illis præcipue enitere debet hæc conformitas, qui inter Claustra monastica, pluribus annis studio perfectionis addicti, ex debito professionis, tenentur sub lineamentis Christi vitam suam, & mores componere, tanquam electa membra imitatione virtutum. His, qui de Claustralium numero sunt, proculdubio indignum citrâ perfectum agere, in schola perfectionis enutritis. Quod si indignum Pontifici, de tantâ assumpto perfectione, scilicet de Monachali instituto, agere citrâ perfectum, itaut inter regales opes, in amplissimo dominatu, nihilominus perfectionem æmulari teneatur, quid sentiendum

de illis , qui inter claustra pluribus emensis lustris , vix ulla perfectionis signa exhibere videntur , & post plures regularis professionis annos , vix paucos servatæ professio- nis dies enumerant ; profectò eò magis indignum , cui- cumque citrà perfectum agere , quò diutiùs perfectionis statum professus est .

### S E C T I O Q U A R T A

*Quid ni erubescas minimum inveniri in magnis , qui te recordaris magnum in minimis extitisse .*

**S**UAM probat perfectionem , qui ad perfectum semper magis enititur ; In abjectionis statu de se abjectè sentire , laudabile est ; sed non erubescere *minimum inveniri in magnis* , scilicet inter dignitatum fastigia , magna uti- que perfectio est , ad quam S. Bernardus hortatur Eugenium , & cum eo quotquot Prælatitia fulgent dignitate . Sed heù quantos est invenire , non modo erubescentes *mi- nimos inveniri in magnis* , sed magnos contendentes æstimari in infimis ; ideo postmodum superbientes in insulis . Alios etiam est animadvertere , qui eò quod humiliter de se sentirent in infimis , magni meritò æstimatione in statu abjectionis ; sed ad superiora evecti , exaltantes animam suam , despicabiles deinde facti sunt in magnis , qui magni vel erant , vel saltem reputabantur in infimis . Dif- fícile est in magnis constitutum de se humiliter sentire . Divitiæ , fastus , servorum , & adulantium comitatus , superbarum cogitationum sunt feracissima ; ad abstergendam hanc superbiæ lepram , quà plerumque contaminantur , qui inveniuntur in magnis , tanquam unica medicina , aquæ Jordanis proponuntur , scilicet *minimum se reputare in magnis* . In Jordane , qui interpretatur descensus , in de- scensu , & humilitate superbiæ leprâ mundamur . Grande malum ( esse noverat S. Bernardus ) horrendumque peri- culum , si vel uni in tuâ cogitatione te præponas ; Ideò com-

commonet Eugenium, quem noverat *magnum in minimis extitisse*, ut erubescat *minimum inveniri in magnis*. Minimus enim in magnis est, qui in magnis ambulat, & in mirabilibus super se, qui inferiores despicit, qui superbia inflatur. Qui juxtā praeceptum Evangelicum, cum major sit, despicit fieri sicut minor. Quò quis major est, eò majorem æmulari debet virtutem, & erubescere *minimum inveniri in magnis*, atque hoc eò magis, si recordari contingat, se aliquando *magnum in minimis extitisse*, æmulum neimpè fuisse virtutum, cum abjectus vive-ret in domo Dei.

## S E C T I O Q U I N T A

*Non es oblitus primæ professionis, non excidit menti,  
quæ subducta est manui, sed ne affectui quidem.*

**A**D servandam in dignitatibus moderantiam, nullum efficacius remedium, quām custodire pristinæ professionis memoriam, tum maxime, cum ex umilitate ad sublimia se quis novit assumptum; quid dicendum, si ad dignitates obtinendas plus fortuna, quam meritum, ut sæpe contigit, reserasset aditum. In ipsis etiam Ethniciis, ad dignitates assumptis, ad singula imperia, judicia, & instituta, præ oculis pristinæ professionis habere memoriam, fuit consilium saluberrimum, ad servandam in magnis moderationem. Agatocles ex Figulo, Siciliæ Rex inauguratus, nonnisi fictilibus vasculis, mensæ accumbens, uti voluit, ut ex pristinæ professionis memoria, moderationem servare disceret inter regales divitias, hac inscriptione in suo stemmate inserta *ex Figulo Rex*. Quantos est intueri, etiam nunc temporis, superbientes inter dignitatum fastus, ad quos fuerunt ex umili statu assumpti, qui proculdubio debitam servarent moderationem, si non obliviscerentur primæ professionis, *si non excideret menti, quæ subducta est manui*, & suo in stemmate gentilitio inscriberent, ex humi-

humili Clerico Episcopus , ex paupere dives , ex modico purpuratus , ex vili patino ad ostrum , ex scamno ad cathedras , ex disciplina ad magisterium .

### S E C T I O S E X T A

*Ipsam ad singula tua ministeria , judicia , instituta habere præ oculis , non erit inutile .*

**H**Umaniores se exhiberent adventantibus pro justitia , quotquot in soliis judicantium consident , Cathedras implent , si ad singula sua Imperia , judicia , instituta haberent præ oculis , quales & ipsi aliquando jam essent , cum in abjecta adhuc fortuna versabantur ; proculdubio non adeò extollerent caput , si ad suos , fortè luto adhuc coquinatos pedes respicerent . Ex quo colligere est , non modicæ futurum utilitatis , nunquam pristinæ oblivisci professionis , status , & conditionis .

### S E C T I O S E P T I M A

*Hæc te consideratio facit honoris contemptorem in honore etiam ipso , atque id magnum .*

**C**Um juxtà S. Bernardum , humilitas sit virtus , qua verissima sui cognitione , sibi ipsi quisque vilescit , nullum profectò efficaciorem stimulum adhibere quis potest , ad contemnendos honores , quam si quis in honoribus , pristinum suum statum considerans , sincera sui ipsius cognitione , sibi ipsi vilescat . Tritum est adagium , longa comprobatum experientia , quod *honores mutant mores* , ideo ut plurimum videre est inter fastus superbire , quos in abjecto statu humiliter sentientes cognovimus ; laudabile est in abjectione humilitatem servare , sed in dignitatibus humilem apparere , & in honore etiam ipso , honoris contemptorem se exhibere , magna utique virtus . Qui verò

Apo-

Apostolica fulgent dignitate, utpote Apostolorum successores, cum Christum æmulari teneantur, hoc debent sentire in semetipsis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Videant, si servi formam accipient Præsules illi, qui dominantes in Clero, plus augendis dominationis titulis student, quam sibi commissarum animarum spirituali incremento; quandoquidem in honore ipso, non modò honoris contemptores, ut par esset, sed gloriae & honoris venatores se exhibent. Proculdubio tantò quisque debet esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior ex munere, quanto se obligatorem esse conspicit in reddendà ratione. Honoris contemptorem se exhibere in honore etiam ipso, utique id magnum. Rara avis in terris humilitatem in fastigio servare: qui inter honores ad umilia non respicit, à suæ dignitatis fastigio, tumoris pondere cadit; quot miseros casus in Ecclesia Dei conspeximus inter Ecclesiæ proceres, qui suo honori se credebant injurios, quandocumque humiles apparuissent; non cogitantes quod Ecclesiasticæ dignitates fulgent in ministerio, non in dominatione. Quapropter S. Paulus, saepe se Christi ministrum, numquam se in Ecclesia Dominum appellare consuevit. Qui in Ecclesia Dei magnus est ratione dignitatis, parvus sit in oculis suis, & tunc verè magnus erit in conspectu mundi, & coram Deo, qui humilia respicit. Tantò enim, quis erit apud Deum prætiosior, quanto fuerit in oculis suis despectior. Nihilominus Prælatis, sic servanda est humilitas, ut non solvantur jura regiminis; ita ut officiæ humilitati, non deroget Prælatio, neque devota humilitas Prælationi. Non enim difficile est humilitatem cum Prælatione componere, si quisquis præest in Ecclesia Dei, de se humiliter sentiat.

## SECTIO OCTAVA

*Non recedat à pectore Glypeus iste tibi, vel sagitta illa.  
Homo cum in honore esset, non intellexit.*

**S**Æpe honores mutant mores, ideò monet Eugenium S. Bernardus, ut se cautè gerat in honoris fastigio. Multi sunt, qui in minori fortuna, & sub obedientia quieti vivunt, quos si ad altiora elatos conspicias, videre est non posse quiescere, de quibus opportune dicitur. *Homo, cum in honore esset non intellexit.* In statu abjectionis sine querela conversabantur, ad prælationes sublimati, non modò humiliter, sed insipienter se gerunt; ita ut meritò comparentur jumentis insipientibus, ex quò similes facti sunt illis. Ne itaque in honore constitutis contingat similes fieri jumentis, *non recedat ab eorum pectore sagitta illa*, scilicet consideratio, quæ eos faciat honoris contemnptores, in honore etiam ipso.

## SECTIO NONA

*Loquere ergo tibi, abjectus eram in domo Dei mei.*

**S**Emper de seipsis humiliter sentirent plures Ecclesiastici, si continuò sibi loquerentur, scilicet ad memoriam revocarent abjectionis statum, in quo nati, in quo diù conversati, priusquam ad Cathedras conscenderent. Majoris autem humilitatis argumentum habent Præsules, qui quantumvis nobili sanguine progeniti, ratione eorum insufficientiæ, nonnisi abjecti esse poterant in domo Dei; revelante autem carne, aut sanguine, vel fortuna impellente, mitras obtainuerunt, quæ virtutis, non sanguinis qualitatem debent coronare. Quod si Præsulem sit invenire, in quo utraque prærogativa nobilitatis, & virtutis excellat, non ideo, qui hujusmodi est, ab humilitatis sensibus

bus debet recedere, considerans utrumque meritum, donum Dei esse gratuitum.

## S E C T I O D E C I M A

*Quale est hoc de paupere, & abjecto levavi super gentes,  
& regna. Quis ego, aut quæ domus Patris mei,  
ut sedeam excelsis sublimior.*

C Ommonetur hic Præfules, ut veteris fortunæ memoria, contineant se intra limites modestiæ; idoneum sanè frenum, ad animi tumorem comprimentum. Præclarum in hac materia exemplum, ac celebre exhibuit Willegius Archiepiscopus Mogutinus, qui obscuro loco natus, demum ad Archiepiscopatum assumptus, quantò major fuit, tanto humilior apparuit, & se submissius gesit; ideoque studebat identidem pristinæ conditionis suæ recolere memoriam, & quia Patre Carpenterio natus erat, passim in ædificiis, & parietibus fabrilia parentis instrumenta pingebat, hac inscriptione *Willegiſe, Willegiſe quis fueris, ne obliviſcere;* & hoc velut inſigne ſibi perpetuum ſumpſit, cuius intuitu ſemper recordaretur, ſe de paupe- re, & abjecto elatum fuiffe in domo Dei. Opportunum hoc, ad dignitates ſublimatis monitum, ut ſeipſos identidem interrogare valeant. *N. N. quis fueris ne obliviſcere.* Memento proinde te jampridem pauperem fuiffe, & abjectum; memento, inquam, quis fueris, qui nunc ſedes in excelsis ſublimior, sanè ne obliviſcaris, quæ fuerit domus Patris tui, ſi humiles ſensus viſ cum fastigio obtentæ dignitatis componere; ſi diſideras humaniter, & ſine elato ſupercilio ad te adventantes fuſcipere; ſi cupis neceſſariam humilitatem, virtutum omnium fundamentum cuſtodiſ: ut plurimum tam inter Ecclesiasticos, quam inter ſæculares proceres, nemo petulantior eo, qui ex humili fortuna fuit ad dignitates assumptus, cum quis jampridem fuerit, aut quæ domus Patris ſui, ad memoriam frequenter, ut par eſſet, revocare dedignatur.

To. I.

F f

SE-

## SECTIO UNDECIMA

*Sanè, qui dixit mihi. Amice ascende superius, amicum fore fudit, si minus inveniar non expedit quidem.*

**Q**uos Deus in domo sua ad dignitates evexit, ipsiſque consequenter dixit: *Amice ascende superius, amicos suos fore fudit*. Cum verò Amicus ille sit verè censendus, qui meliora Amici æmulatur charismata, minus utique inveniretur, habere de Christi Amicitia, quisquis cum superius ascenderit, eò quod factus sit Apostolorum successor, quibus Christus dixit: *Vos Amici mei esſis, Christum, qui adeò in humilitate excelluit, imitari renueret, & in adepto honore, mutatis moribus, postquam ad fastigium Ecclesiastici honoris pervenit, Christum humilitatis Magistrum, per humiles sensus, & mores imitar despiceret.*

## SECTIO DUODECIMA

*Qui elevavit, & dejicere potest: sera querela, quoniam elevans allisſti me.*

**C**aveant quotquot elevantur, ne ingrati viventes beneficiis, sibi à Deo irrogatis, ferò conqueri debeant, *quoniam elevans allisſti me*. Continuum timoris argumentum esse debet potestatibus, seriò reflectere, quòd qui elevavit, & dejicere potest; qui in hoc sæculo per dignatum fastigia, quæ à Deo obtinuit, sibi dictum audivit: *Amice ascende superius, timeat, ne beneficio vivens ingratuſ, in discussione extrema, cum rubore fieri debeat ex primo novissimus; quòd enim sunt majora beneficia hominibus constituta, eò graviora erunt peccantibus iudicia; erit tunc sera querela, quoniam elevans allisſti me.*

## S E C T I O D E C I M A T E R T I A

*Non est quod blandiatur celsitudo, ubi sollicitudo major; illa discriminem intendit; haec animum probat; huic accingamur, si nolumus cum rubore novissimum locum tenere.*

**S**CITÈ de quacumque dignitate dictum. *Honor, & onus,* sed dignitatis Pontificiae, excedere onus honorem, perspicuum est; quandoquidem ut perhibet S. Bernardus, major est hujus dignitatis sollicitudo, quam celsitudo, quæ veritas fusiæ in sequenti Capite expenditur.

## C A P U T S E X T U M

## S Y N O P S I S .

*Agit in hoc Capite S. Bernardus de studio, cui Ecclesiæ Proceres esse debent addicti. Qui censere non debent cum Prælatione sibi traditum esse dominium, sed cogitare selectos fuisse ad ministerium. Quapropter, quicumque ad Ecclesiastica sublimatur fastigia, potius sentire debet impositum sibi onus, quam honorem. Quidquid in vineâ Domini laborent Episcopi, pro extirpandis vitiiorum verubus, inferendisque virtutibus, semper major eisdem labor expectat. Laboraverunt Apostoli, laboraverunt primi Apostolorum successores, neque labor deerit subsequentibus, qui in agro Domini, spirituali præsunt cultura. Sciant itaque Episcopi, hoc esse nomen officii, non domini, & ab Apostolis accepisse Prælatos, non dominacionem, sed sollicitudinem. Divitiarum usus apud Prælatos, qualis esse debeat, expenditur. Qualis etiam Prælatorum gloria: quomodo oporteat Episcopos exire in agrum Domini, ut lustrare valeant, & purgare sibi commissam Ecclesiam. Quisquis ad Episcopales Cathedras vocatur, antequam onus suscipiat, suas tenetur metiri vires. Pa-*

*I*storum est domare lupos , non dominari super oves sibi concreditas . *Qualis nobilitas quaerenda in illis , qui ad Cathedras sunt promovendi ; omnes Episcopos gloriari debere in humilitate , & Cruce Domini concluditur .*

## SECTIO PRIMA

*Factum superiorem dissimulare nequimus .*

**A**D secretiores etiam Monachorum cellulas , statim resonat electio Summi Pontificis , Christi Vicarii , Petri successoris . Quapropter Eugenium factum fuisse Pontificem , utique S. Bernardus dissimulare non poterat . Quo expressionis termino , videtur quodammodo Bernardum de Eugenio conqueri , quod scilicet Eugenius in Papam electus , de sua electione eundem prævenire fuerit minus sollicitus . Hoc nostrum commentum roborat ipse S. Doctor Epist. 338. ad Eugenium , quæ incipit : *Auditum est in terra nostra , & celebri sermone vulgatum verbum hoc , quod factum est de vobis à Domino ; expectabam litteras vestras , & præveniri à vobis &c.*

## SECTIO SECUNDA

*Sed enim ad quid , omnimodis attendendum .*

**Q**UICUMQUE à Deo sublimatur in Ecclesia , non tam respicere debet , quæ & qualis sit dignitas , ad quam fuit assumptus , quam ad quid fuerit ad eandem præelectus . Timerent utique , & non exultarent , quotquot Prælaturas consequuntur , si ad quid supra cæteros in Ecclesia Dei sint constituti , seriò meditarentur ; non de fulgore dignitatis obtentæ lætabundi incederent , sed de onere , sibi per munus assumptum imposito , pavidi contremiserent . Non de proventibus , quos ab Episcopali mensa abundè sunt recepturi , quasi pro libito disponendis in-

intumescerent; cum superfluos haudquaquam in usus, sed in Ecclesiæ, & Pauperum subsidium, quotquot à decenti sustentatione supersunt, expendendos esse, ignorare non valeant. Proindè timidi cogitarent, quatenus dispensatores fideles teneantur se gerere, scientes exactam rationem fructuum, quos à vinea Domini perceperunt, tandem aliquando vineæ Domino esse reddendam, & horrendum veh illis comminari, qui in malos usus disperdentes Ecclesiasticos proventus, ausi fuerint facere suos fructus illos, quorum sunt tantum administratores, quosque verus amicus, & legitimus eorum Dominus, irrevocabili testamento Ecclesiæ suæ legavit, & pauperibus; Proindè cuicunque ad Ecclesiasticas dignitates assumpto, *ad quid assumptus fuerit, omnimodis attendendum.*

## S E C T I O T E R T I A.

*Non enim ad dominandum opinor.*

**F**allitur quisquis pastorali munere insignitus, nonnisi ut super oves concreditas dominationem exerceat, se arbitratur ad Cathedram Pastoralem fuisse elevatum: *Ad Heb. 5. 1. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*, ut condolere possit iis, qui ignorant, & errant, non ut dominetur super oves suæ sollicitudini commissas. Profectò an in hoc sæculo reperire contingat Prælatos, in suo munere non Dominum, & quæ Domini sui sunt quærentes, sed dominium affectantes, utinam nonnisi invita veritate dicatur. Proh dolor! si esset Ecclesiasticos conspicere, qui ambitione, plusquam zelo impulsi, ad Prælaturas aspirarent, totisque conatibus Cathedras obtinere eniterentur; eorumque scopus aliis non esset, quam habitare in medio domus Dei, ut facerent superbiam. Superbiam utique faciunt, qui ad excelsa sublimati, superbo apparatu inceden-

dentes, aurum habent in frenis, aurum in sellis, & calcaribus, ita ut plus niteant calcaria, quam altaria: unde hoc, nonnisi quia hujusmodi Ecclesiastici, externo nitori, pompæ, & comitatui plusquam deceat addicti, dum pinguioribus inhiabant beneficiis, non Domino famulari, sed dominari cupiebant. Utique qui dominium, non verò quæ Domini sunt querunt, Amici esse nequeunt sponsi, cum sicut sponsi incedere videantur nitidi, ornati, circumamicti varietate, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium inter Ecclesiasticos repente eminus procedentem conspicimus, sponsam potius putamus, quam sponsæ custodem, Dominantem potius, quam Domino famulantem: & unde hanc illis exuberare credimus rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, argenti congeriem, nisi de bonis sponsæ, quæ sibi arrogant tanquam Domini, cum nonnisi custodes, & dispensatores fideles à Deo fuerint designati; propterea pluribus in Ecclesiis sponsam non cernimus ornatam, sed spoliatam, non custoditam sed derelictam, non defensam sed expositam; quia plures eorum qui positi sunt custodes in veneis, ad dominandum, non ad vigilandum incumbunt.

#### SECTIO QUARTA

*Nam, & Propheta, cum similiter levaretur audivit,  
ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes,  
& ædifices, & plantes.*

**E**piscoporum est munus, manus Prophetæ extirpatoris adjuvare, nam ille Prophetæ adjutor est, qui cooperans verbo, & gratiæ Dei, in hoc dat operam, ut evellat, & disperdat in sua Diœcesi pravas affectiones, & mores corruptos; ut omnem denique plantationem, quam non plantavit Pater cœlestis destruat, omnem ædificationem Babylonicae superbiæ, & confusionis dissipet, ut compositos

mo-

mores plantet , omne gramen abusuum radicitus evellat , & disperdat de agro Domini ; itaut radice pessima dominationis avulsâ , nullus amplius germinare valeat fructus amaritudinis ; indefessa sollicitudine destruens , & dissipans omnem altitudinem , extollentem se adversus humilitatem Christi , ut tandem Christum , solum Ecclesiae Dominum esse , adversae potestates cognoscant . Quam felix esset Ecclesia Dei , quanta pace , & gratia floreret , si solummodo ad fructus istos intenderent , qui Ecclesia à Domino præficiuntur .

### S E C T I O Q U I N T A

*Quid horum fastum sonat ? Rusticani magis sudoris  
Schemate quodam , labor spiritualis expressus est .*

**T**Antum abest ut superbire audeant , & dominari possint , qui in Ecclesia Dei præficiuntur , *ut rusticani magis sudoris schemmate eorum labor exprimatur* . Sicut autem rustici terram effodientes , superbientes sensus concipere nequeunt , à mane , usque ad vespertas terram volutantes , ad altiora non respiciunt , sed in humilitate suum rusticatum prosequuntur laborem , evelentes quæ ebellenda esse cognoverint ; propterea rusticano hoc schemate , Praelatorum opus exprimitur , ut noverint se molles fugere debere delicias , quæ cum pastorali sollicitudine , haudquaquam possunt convenire . *Rusticano demum schemate Praelatorum labor exprimitur* , ut intelligent se laboribus indefessos exhibere teneri , nulla paventes rigidoris , aut ferventioris tempestatis incommoda , pro commissæ Dioecesis culturâ ; ut sciant , non in curribus , & æquis , sed in nomine Domini , multo melius gloriari , non plumeis in stratis posse oscitari , noctes vertentes in diem , & diem in noctem ; sed vigiles primo mane deberre confusurere , ut ad suum opus perficiendum se se possint accingere . Propterea magis Rusticani sudoris schemate

mate quodam, Ecclesiasticorum, & præcipue Prælatorum labor spiritualis expressus est.

## SECTIO SEXTA

*Et nos igitur, ut multum sentiamus de nobis, vel nobis impositum senserimus ministerium, non dominium datum.*

**Q**UAMVIS Ecclesiæ Prælatos Deus vocaverit ad ministerium, contulit tamen eis simul, & semel dominium; sed prius ad laborem, deinde ad quietem debent attendere: Ideò ut multum sentiant de seipsis, prius sentire debent impositum ministerium, illudque exercere, & ministrare, quam sentire datum dominium, & dominari; sequitur dominium ad ministerium, hoc spiritualia lucra, illud temporalia emolumenta intendit. Quærant igitur primò Regnum Dei, & justitiam ejus, & temporalia incrementa adjicientur; gloria siquidem, & divitiæ in domo ejus, ubi generatio rectorum benedicitur. Studeant sedulò perficere impositum ministerium, & consequens erit dominium, cum scriptum sit: *judicabunt nationes, & dominabuntur populis*; sed in domo Dei domino fraudabitur, quisquis ad dominium tantum resperxerit, & ministerium neglexerit.

## SECTIO SEPTIMA

*Non sum ego major Prophetæ, & si forte par potestate, sed meritorum non est comparatio.*

**E**Xemplo Hieremia Prophetæ, quem Deus speciali prærogatiya elegerat ad ministerium, scilicet ad reformatos depravatos mores Synagogæ, cui propterea Deus dixerat, constitui te, ut evellas, & destruas, dissipes, ædifices, & plantes, etiam Pontificem hortari intendit

S. Ber-

S. Bernardus ad simile opus salutis perficiendum in Ecclesia Dei. Hieremias statim , ac sibi innotuit divina voluntas , fortiter ad opus sibi injunctum se se accinxit . Hieremias verò excellentia merita , ejusdem sanctitas in puerili aetate jam matura commendat , imò puerilem prævenit aetatem , quandoquidem à Deo sanctificatus in utero Matris . Quod si tantæ sanctitatis Propheta , ministerium sibi à Deo impositum , implere tota sollicitudine studuit ; exemplo Prophetæ debent etiam Pontifices fortiter accingi ad opus , ad quod fuerunt à Deo assumti ; quòd si Prophetæ facti sunt in potestate pares , etiam exhibere se debent in labore æquales .

## S E C T I O O C T A V A

*Hæc loquere tibi , & doce te ipsum , qui alios doces . Puta  
velut unum aliquem de Prophetis : An non satis ad te ,  
& nimium .*

**U**MILES de seipso debet concipere sensus , qui in scholâ Christi quærerit proficere . Quisquis ille sit , sive Præses , sive Præfus , hanc debet sibi persuadere veritatem , se omnibus merito esse inferiorem , licet plus dignitate excellat . Qui sibi sic loquitur , *bene seipsum docet* , aliosque docere potest , ut omnes fiant docibiles Dei .

## S E C T I O N O N A

*Sed gratiâ Dei es , quod es . Quid ? Esto Propheta ,  
numquid plusquam Propheta .*

**U**TRUMQUE scire necesse est , quid sumus , & cuius gratiâ sumus quod sumus , ne aut omnino videlicet , non gloriemur in Domino , cum Deo dare debeamus gloriam per id quod sumus ; aut inaniter gloriemur , tan-

To. I.

G g

quam

quam à nobis sumus quod sumus . Homo in honore constitutus , cum honorem à Deo accepisse non intelligit , meritò comparatur pecoribus , velut quibusdam præsentis suæ corruptionis , & mortalitatis confortibus ; igitur homo , se se non cognoscendo , irrationabilium gregibus aggregari incipit , dum ignarus gloriæ , quam à Dei gratia accepit , & quæ ab intus est , meritò comparatur jumentis , eò quòd gloriatur , quasi nihil à Deo acceperit . Itaque cavenda hæc ignorantia , quæ de nobis minus rectè sentimus , tūm maximè , cum plus nobis tribuimus , censentes bonum aliquod esse in nobis , quasi ex nobis ; cum certum sit , quòd non nisi Dei gratia sumus , id totum quod sumus . Quidquid interim sumus , sive Propheta , sive plusquam Propheta ; delictum maximum est , si de datis tanquam innatis gloriari voluerimus , & in acceptis beneficiis , gloriam benefici usurpare audeamus .

### S E C T I O D E C I M A

*Si sapiis , eris contentus mensurā , quam tibi mensus est  
Deus , nam quod amplius est , à malo est .*

**V**Era sapientia est sua esse forte contentum . Cum autem sors nostra sit in manu Dei , quæcumque illa sit , mensura est , quam nobis mensus est Deus . Qui autem mensuram trasgredi voluerit sui status , & conditionis , à conditore sibi perscriptam , cum superbiæ Principe concendens in altum , altiori patebit ruinæ . Necesse est unumquemque hanc sibi persuadere veritatem , debere scilicet *esse contentum mensurā , quam ipsi mensus est Deus* ; & quidquid amplius est , aut esse quisque præsumit , à malo esse . Qui affectat fastigium , attendat præcipitum ; melius est humiliter subesse , quam miserè præesse . Tot experimentis comprobata superborum ruina , omnibus debet esse cautela .

## SECTIO DECIMA PRIMA

*Disce exemplo Prophetæ præsidere, non tām ad imperitandum, quām ad facitandum quod tempus requirit; disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias.*

**R**Everendus utique Episcopalis honor, sed magis metuendus Episcoporum labor. Quod si qui ad Cathedras aspirant, pensarent quot, quantique sint Episcoporum labores, adeò utique non affectarent Episcopales honores, cum non tantum vocati sint Praefules *ad imperitandum, quām ad facitandum*. Proinde plus opus habent sarculo, quām sceptro. Qui ad solos respiciunt honores, meditentur & onera; tantaque fiduciā, & alacritate celsabunt currere ad Cathedras, in quibus gravari, imò opprimi sub pondere metuent: an forte modicus Episcoporum labor, sollicitudo indefessa Ecclesiæ, eorum curæ commissæ, & animarum pro quibus tenentur rationem reddere Altissimo; semper anxii viventes, ut quotquot deflectere à viâ veritatis compererint, reducant in semitam rectam, quā in re, quis sufficienter exprimere valeat, quanta debeant cum cautela procedere, ne sint in corrigendo remissi, indulgentiores in parcendo, pusillanimes in operando, severiores in castigando, ne superflua admittant in seipsis, necessaria denegent aliis, ne sint ad promittendum citi, ad reddendum tardi, ne sint datores prodigi, ne dispensatores injusti, ne personarum acceptores; & ut omnia verbo concludam, serio examinantes, sicut par est, an se exhibeant in omnibus irreprehensibiles; certè si ad hæc omnia serio attendant Episcopi, facile cum Divo Bernardo concludent, eos præsidere non tām ad imperitandum, quām ad facitandum, & sarculo sibi opus esse, non sceptro, ut opus faciant Prophetæ.

## SECTIO DECIMASECUNDA

*Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus.*

**P**rosequitur argumentum propositum S. Doctor, quo probare contendit, Episcopos sceptrum non decere, sed sarculum; quandoquidem non ad quietem, sed ad laborem vocati sunt. Ideo Paulus dixit, Episcopatum esse opus laboriosum valde, vix enim Episcopum est invenire, qui indefessis non angatur molestiis; in Episcopo nunquam desunt foris pugnæ, intus timores.

## SECTIO DECIMATERIA

*Putas ne, & tu invenies aliquod elaborandum in agro Domini tui, & plurimum.*

**S**acerdotale onus fortiter ferre, Episcopale opus benè perficere, curamque Pastoralem dignè posse administrare, quam difficile sit, satis expressit ipse Christus, qui querens cui se credere deberet, cui tutò sua committeret dispensanda mysteria, quem vigilem præficeret custodem, & cultorem vineæ suæ, quasi difficulter invenire jam posset, sub admiratione interrogat. Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Utique dubitari non potest, quod semper *aliquod elaborandum invenient Episcopi in agro Domini, & plurimum*, si ut solliciti Pastores vigilare voluerint ad custodiā, si ut diligentes agricultæ laborare non recusaverint ad culturam. Sine numero sunt, qui Pastoris, & Agricultæ, in Ecclesia Dei, munus suscipiunt. Utinam etiam, & sine numero non sint, qui utriusque muneris in munere suo inveniantur expertes. Certum est quod de neglecto exercitio laboriosi operis Episcopalis, de misera diuturnitate otiosi incolatus Pastorum, oritur dissipatio ovium, circa quas semper multum, & plurimum invenire est elabo-

ran-

randum, si sedulò velit Episcopus muneris sui partes exemplere. Ecclesia, licet ab exteris se graviter devastatam agnoscat, magis tamen incusat devastatores domesticos, quærulam se exhibens adversus desidiosos, qui sic vivunt, quasi multum, imò plurimum *elaborandum non esset in domo Dei*. Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt. Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Super muros Jerusalæm constituit Christus Episcopos custodes tota die, & tota nocte, ut in perpetuum non taceant.

### S E C T I O D E C I M A Q U A R T A

*Non planè totum, quivere mundare Prophetæ, aliquid filiis suis Apostolis, quod agerent reliquerunt, aliquid ipsi parentes tui tibi.*

**Q**uantumvis per indefessam vineæ cultoris sollicitudinem, evellanuntur gramina suffocantia teneras plantas, vel ad modicum tempus sibi relictæ tellus, iterum gramina germinat, quapropter semper agricola iterato opus habet labore, ad extirpandas infructiferas vepres, si frustum colligere desiderat tempore suo. Pariformiter in vinea Domini, non planè totum quivere mundare Prophetæ, aliquid filiis suis Apostolis, quod agerent reliquerunt; Aliquid Episcoporum prædecessores Episcopis, qui nunc vineæ præsunt, etiam reliquerunt quod agant. Facile enim novi pullulant à vitiata natura abusus, quibus semper obviare tenentur Episcopi; vitia facile germinant; Ecclesiastica disciplina facile enervatur; itaut nunquam desint Ecclesiæ Pastoribus, qui vigilare voluerint, nova laboris argumenta.

## SECTIO DECIMA QUINTA

*Sed nec tu ad omne sufficies, aliquid profectò tuo relicturus es successori, & ille aliis, & alii aliis usque in finem.*

**A**mbulantes in regione umbræ mortis , semper fuere proclives ad vitia, qui ad hæc extirpanda laborat, ad omnia evellenda non sufficit , *aliquid semper laborandum suo relieturus est successori, & ille aliis, & alii aliis usque in finem* : nunquam justus arbitratur se comprehendiisse , nunquam dicit satis est , sed semper esurit , sitique justitiam , itaut si semper viveret , semper quantum in se est , justior esse contenderet , semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur ; non enim ad tempus instar mercenarii , sed in æternum divino se se adjiciunt famulatui , qui verè Domino famulari desiderant .

## SECTIO DECIMASEXTA

*Circà undecimam denique horam operarii otii arguuntur , & mittuntur in vineam.*

**C**um operarius in vinea Domini , juxta laborem suum , remunerationem à Deo sit accepturus ; Ideo etiam circa undecimam horam mittuntur operarii à Domino , æqualem cum cæteris remunerationem percepturi , si indefesso unius horæ labore , laborem cæterorum æquaverint , qui licet per totam diem portantes pondus diei , & estus , remissius tamen , & segniter laboraverunt ; ex quo deducere liquet , quòd pro his , qui tandem aliquando Dei famulatui , cum vigore spiritus se mancipare stabiliunt , ita manum mittentes ad aratum , ut nunquam post hæc retro respiciant , nullam esse horam ferotinam .

## SECTIO DECIMASEPTIMA

*Antecessores tui Apostoli audierunt, quia messis quidem multa, operarii verò pauci.*

**D**E paucitate operariorum conqueritur Christus dicens : messis quidem multa , operarii verò pauci : messis utique multa , etiam Sacerdotes multi , sed ex eis mercenarii plures sunt , non operarii ; nàm quos instruunt verbo sanctæ prædicationis , destruunt exemplo pravæ operationis . Pauci utique sunt operarii , quandoquidem proh dolor ! Paucos reperire est Ecclesiasticos , qui post adeptam dignitatem , in humilitate se contineant , cum sola superbia multis fuerit occasio , ut in ovile Christi impudenter irrumperent . Quisquis in domo Dei , solum quæ sua , non quæ Dei sunt querit , mercenarius dicendus est , non operarius .

## SECTIO DECIMA OCTAVA

*Paternam tibi vindicato hæreditatem, nam si filius,  
& hæres.*

**A**Postolorum successores esse Episcopos , quibus in dignitate succedunt , sicut , & Divi Petri Romanum Pontificem , quem tamquam Christi Vicarium , & Caput visibile Ecclesiæ semper venerati sunt Christifideles , veritas est inconcussa , ex quâ sequitur , quòd Romanus Pontifex , Divi Petri hæreditatem sibi jure successionis vindicit , & consequenter cum hæreditate jurisdictionem , per quam Episcopi in sua Dioecesi , sub Romani Pontificis obedientia , & Romanus Pontifex in toto orbe , debent tanquam solliciti operarii , indefesso labore insudare ad Ecclesiæ culturam . Hinc consequens est , quod subdit Santos Doctor .

## SECTIO DECIMANONA

*Ut probes hæredem, vigila ad curam, & non otio torpeas,  
ne & tibi dicatur, quid hic stas tota die otiosus.*

**U**TINAM non sint in Ecclesia Dei , qui justissimè increpari debeant à Domino , *quid hic statis tota die otiosi?* Eò quòd nihil operantes , nihilominus manducare videntur panem non suum , cum tamen otiosis panem tollat Apostolus : *ad Thessl. 12. Audivimus quosdam ambulantes inter vos, nihil operantes, his autem, qui hujusmodi sunt denunciamus, & obsecramus in Domino, ut panem suum manducent.* Qui ergo à Domino destinati sunt operarii in vineâ suâ , si non laborant juxta sui muneris exigentiam , non panem Ecclesiæ , sed panem suum ab Apostolo manducare jubentur ; quapropter panem non suum manducare Ecclesiasticos dicendum est , nisi panem suum efficiant operando , quantum operari possunt sub testimonio Dei , & conscientiæ suæ . Panem non suum manducant Episcopi , qui Episcopalem mensam exigunt , & laborem Episcopalem effugiunt . Panem non suum manducant Ecclesiastici , qui beneficiis insigniti , juxta muneris beneficio adnexi exigentiam , laborare detrectant . Sed heù nimium , etiam aliquos est invenire , qui experiri rennunt quid possint ; ut plurimum Ecclesiastici juxta exigentiam assumpti muneris non laborant , quia vel non posse laborare ipsis videtur , vel consuetudine otii , & deliciarum , ut amplius laborare non valeant effecerunt . In hac damnatione sunt Regulares , qui juxta observantiam , quam professi sunt , vitam suam non instituunt ; à Choro frequentius se abdicantes , a communi victu , & vestitu recedentes , levi quocumque prætextu , sive modicæ sanitatis , sive prætensiæ occupationis , à communi coetu segreges facti ; qui sic vivunt , utique panem non suum manducant : etenim regularium domorum fundatores , ad hoc præcipue collimarunt , in sui abdicatione patrimonii , ut

ex

ex eo alerentur viri , qui in regulari observantiâ Deo dicati deservirent ; qui itaque regularem ordinem professus , ex piorum patrimonio alitur , si secus vixerit , nisi gravis necessitas excusaverit , manducat panem non suum , quem solum suum facit , si juxta regulam , quam professus est , vitam instituerit . Timeo plures Ecclesiasticos , sive Sæculares , sive Regulares , increpari posse à Domino , *quid hic stetis tota die otiosi , manducantes panem non vestrum.* Nunc excusamur , nunc tergiversamur , sed non est qui se abscondere valeat ò bone Jesu ! ex his qui otiosi vivunt in Ecclesia tua , manducantes panem non suum , à lumine veritatis tuæ quod sicut illuminat conversos , sic etiam ferit aversos . Possunt qui otiosè vivunt in Ecclesia Dei , fallere homines inscios , non autem poterunt fallere Deum , qui cum tempus acceperit , & justicias judicabit , justè , & severè est increpaturus , quotquot manducaverint panem non suum , & potenter arguet , eò quòd sterint totâ die otiosi in vinea Domini .

## S E C T I O V I G E S I M A

*Multò minus inveniri opportet , aut deliciis resolutum , aut resupinum pompis , nihil horum tibi tabulae testatoris adsignant .*

**I**ntra membra mystici corporis , cuius caput est Christus , licet computandi sint quotquot Christiano nomine , sub Christi Vicario Romano Pontifice militantes , sunt insigniti , potiora tamen membra ecclesiasticos esse , nemō revocare potest in dubium ; cum tamen sub capite spinoso , non deceat esse membra delicata , multò minus inveniri opportet Ecclesiasticos deliciis resolutos , aut resupinos pompis . Qui Christo militare præcipue tenentur , si delicias sequantur , utique non militant Christo , sed Mundo . Veh Ecclesiasticis , qui dormiunt in lectis eburneis , & lasciviunt in stratis suis , qui comedunt vitulos sagina-

To. I.

H h

tos,

tos, bibunt vinum defæcatum, quotidiè epulantur splendide; aut antè mortem deliciae eos deferent, aut in morte illas relinquunt; certè cum interierint, non descendant cum ipsis deliciae eorum. Veh Ecclesiasticis, qui deliciis sunt resoluti, aut pompis resupini: ad Rom. 14. 17. Non est regnum Dei esca, & potus, qui hujusmodi sunt, sicut oves in inferno positi, mors depascet eos. Sicut oves, inquam, quia detracto vellere terrenarum deliciarum, & divitiarum, nudi sempiternis deputabuntur incendiis, semper morituri ad momentaneam vitam, quam duxerunt deliciis resolutam, pompis resupinam, ut semper vivant inter cruciatus æternos ad continuam mortem. Dedeceat inveniri deliciis resolutos, aut resupinos pompis, in Apostolico munere Apostolorum successores, qui pauperes, & mendici circumjerunt orbem terrarum evangelizantes, itaut non haberent, ubi reclinarent caput. Proh dolor! si nunc intueri contingeret aliquos ex ordine Apostolico incedere nitidos, ornatos, circumamicatos varietate, tanquam sponsos procedentes de Thalamo suo deliciis resolutos, pompis resupinos. Sed undè arbitramur hanc exuberare affluentiam divitiarum, vestium splendorem, mensarum luxuriam, nisi de bonis sponsæ. Quapropter illa pauper, & nuda relinquitur; interim qui vigilat ad sponsæ custodiā, apparet pompis resupinus; utique nihil ejusmodi deliciarum, & luxus, tabulae testatoris adsignant Ecclesiasticis, qui se probare contendunt Apostolorum hæredes.

### SECTIO VIGESIMA PRIMA

*Sed quid si illarum tenore contentus sis, curam potius  
hæreditabis, & operam, quam gloriam,  
& divitias.*

**V**erbū Domini prædicare, ad dandam scientiam salutis plebi ejus, præcipuum est Episcoporum manus. Hæc hæritas, quæ Prælatis designatur, hoc opus, quod

quod ipsis ex officio Episcopali incumbit; quapropter quisquis pastorali munere insignitur, *si tabularum testatoris tenore contentus sit, curam potius hæreditabit, & operam, quam gloriam, & divitias.* Cæterum curritur in Clero passim ab omni ætate, & ordine, à doctis pariter, & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis janu quisque victurus sit, cum ad Episcopatum pervenerit, quod nonnisi opus esse testatur Apostolus; *quasi gloriam, & divitias hæreditatus sit in Episcopatu, potius quam curam, & operam.* Nec mirum de his, qui nec dum in semetipsis experti sunt, qualis, & quantus sit Episcoporum labor, & onus. Videntes quippe illos, qui jam suos cupidæ sarcinæ submiserunt humeros, non solum non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari; ideo non deterrentur periculis, onere, & labore; quoniam cupiditate, & ambitione cæcati, laborem non vident, sed solis favoribus, quos semper magis expetunt execæcantur; undè sequitur ut faciant sibi de nominibus, & officiis religionis, nomina authoritatis, elationis, & vanitatis.

## SECTIO VIGESIMA SECUNDA

*Blanditur Cathedra, specula est.*

**P**RÆLATORUM Cathedram speculam esse, congruè docet S. Bernardus, quandoquidem Prælati positi sunt à Deo ad custodiā Ecclesiæ. Porrò custodia, ut sit sufficiens, trifaria esse debet, à vi Tyrannorum, à fraude Hæreticorum, à temptationibus Dæmonum. Plusquam à vi Tyrannorum contigit aliquando Ecclesiam exagitari à præpotentia Magnatorum sæculi, qui ut jura sua augeant, Ecclesiæ libertatem, & immunitatem sæpè oppugnant. De his per Prophetam Ecclesia conqueritur dicens: *Psal. 40. 10. Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem, & alibi: Cantic. 5. 7. Filii matris*

*meæ pugnaverunt contra me*, quos non sine mysterio filios matris vocat, non patris; qui enim Ecclesiæ jura impugnant, Patrem Deum non habent, sed potius ex Patre Diabolo esse perhibentur. Etiam plusquam vim Tyrannorum, nunc temporis Ecclesiam exagitant, ipsique insidiantur quotidiè irrepentia vitia, à quibus immunem Ecclesiam suæ sollicitudini commissam, custodire tenentur Episcopi, sunt enim ipsi vigiles, à quibus se inventam perhibet sponsa. Proinde non modica hæc est Prælatorum sollicitudo, quæ benè perpensa, utique: *Blandiri non poterit Cathedra, quæ potius specula debet nuncupari*. Sunt Prælati custodes civitatis Jerusalem, unde de eisdem Ecclesia in Canticis: *invenerunt me custodes, qui custodiunt civitatem*. Nonni si sine magno Ecclesiæ præjudicio, semper fuit diutina Prælatorum absentia; quorum vigilantiæ est Ecclesia commissa, ut ex Cathedra, tanquam ex specula invigilant ad animarum custodiam. Patebunt sine dubio, absente Prælato, Christifideles morsibus malignantium, qui devorant plebem Christi, sicut escam panis.

Cum Episcopalem Cathedram speculam esse jure asserat S. Bernardus, consequens est summam ab Episcopo diligentiam esse adhibendam, in statu universæ suæ Dioecesis optimè cognoscendo, quod benè perfici nequaquam potest, nisi Episcopus per seipsum universam suam Dioecesim perlustret. Ad unumquemque Episcopum illa Prophetæ verba diriguntur: *Ezech. 3. 17. Speculatorum dedit te domui Israel*: propterea debent Episcopi diligenter agnoscere vultum pecorum suorum, & considerare super gemmam suum; Episcopi munus benè perfici haudquaquam potest, nisi propriis oculis Episcopus lustrare studeat omnes suæ Dioecesis Paræcias, quam veritatem cum palpaverint sacri Concilii Tridentini Patres, ideo super visitationem, per suam respectivè Dioecesim instituendam, & haudquaquam negligendam, omni sollicitudine monitos voluerunt universos Episcopos, qui si segniter in hoc necessario munere se gesserint, justam à Deo objurgationem in extrema discus-

discussione utique non evadent, & poenam. Utinam Episcopos non sit reperire, qui Cathedram, quæ specula est ad vigilantiam, in lectulum tranquillitatis, & quietis, quasi dormientes converterint, & plus in statu redditum mensæ Episcopalis conficiendo, quam in statu animarum sibi commissarum optimè cognoscendo vigilaverint; Episcopalem Cathedram in nummulariorum mensam convertentes, cum agitur de retributione percipienda semper vigilantissimi, cum vero de salute animarum promovenda somnolenti. Meminerint proinde Episcopi *Cathedram speculam esse*, & speculatores à Deo datus domui Israel, nec adeò inculcatam à sacris Canonibus suæ Diœcesis visitationem instituere omissint. Ut verò debitis institutionibus exercetur, qui ex munere ad alicujus visitationem Diœceseos tenet, constitutiones consulat, & decreta condita in Provinciali Synodo Mediolanensi, sub S. Carolo Borromeo. Opus Brixiae impressum, apud Petrum Mariam Marchettum anno 1582., in quo opere omnia lumina ad rem necessaria abundant.

### SECTIO VIGESIMATER TIA

*Inde denique superintendis, sonans tibi Episcopi nomine,  
non dominium, sed officium.*

**P**rocum à Prælatis esse debet omnis dominandi libido, cum à Deo sint constituti, potius, ut prosint, quam ut præsint; ut subditorum lucrum quærant, non proprium, ut impositum sibi esse ministerium sentiant, non datum dominium; ut sciant sarculum sibi convenire, non sceptrum, ut de illis impleatur, quod scriptum est. *Principem te constituerunt, esto inter illos tanquam unus ex illis;* sed quomodo tanquam unus ex illis? qui ad Prælaturas sublimatus, credit sibi collatum cum Prælatione dominium, non officium; fastigium sibi deberi arbitratur, non humilitatem; præminere studet, non prodesse. In alto possum,

situm, non altum sapere difficile est, & ferè omnino inusitatum, sed quanto inusitatus, eò glorioius in sublimitate honoris, humiles sensus concipere.

### SECTIO VIGESIMAQUARTA

*Quid ni loceris in eminenti, undè prospectes omnia,  
qui speculator super omnia constitueris.*

**P**osuit Deus Prælatos in Ecclesiâ suâ speculatores, ut Catholici gregis vigilent ad custodiam. Hi sunt, de quibus scriptum est in Canticis 7. *Lectulum Salomonis sexaginta fortis ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super fænum suum, propter timores nocturnos.* Lectulum Salomonis est Ecclesia Catholica, in qua Deus specialiter habitat, & requietit. Sexaginta fortis qui lectulum ambiunt, Episcopos esse, non immerito dixeris, qui defendendo, castigando, increpando, corripiendo, admonendo circumeunt, & custodiunt Ecclesiam Dei contra inimicos, sive visibiles, sive invisibiles; ideo fortis dicti, quia perfectionis statum profiteri tenentur; spiritualis verbi accincti gladio, quo vitia jugulare valeant. Ad bella doctissimi, quia Ecclesiæ adversitatibus fortis resistere tenentur in fide; propter timores nocturnos, idest occultas malignantium insidias, quas detegere tenentur, & ad nihilum redigere; quæ cum ita sint, utique Prælati non est locus otio, ubi eos sedula urget sollicitudo; *locatus proinde in eminenti, undè prospectet omnia, qui speculator super omnia est constitutus;* caveat ne desidiosus sedeat, in specula, & minus sollicitè, quam par sit contra omnes inimicorum versutias invigilat, sique ob suam inertiam imminuat disciplina Ecclesiastica, & Canonum observantia languescat:

## SECTIO VIGESIMA QUINTA

*Nam quid tibi dimisit aliud S. Apostolus . Quod habeo , inquam , hoc tibi do . Quid illud unum scio , non est aurum , neque argentum , cum ipse dicat : Argentum , & aurum non est mihi .*

**S**I Divus Paulus aurum non habuisse , neque argentum perhibet dicens , *Argentum , & Aurum non est mihi* . Consequenter dimittere haudquam potuit successoribus , quod non habuit . *Quid est ergo , quod dimittere potuit , nisi solam sedulitatem . Clamat ad omnes Præfules Apostolus , Argentum , & Aurum non est mihi* . Veh illis qui obturant aures suas ad vocem incantantis sapienter , & divites se esse gloriantur . Cum Apostolus solam ipsis paupertatem dimiserit : Ad gloriam Apostolici nominis , plus valet humilitas paupertatis , quam sublimitas opulentia , siquidem in sacris paginis commendatur , *qui post aurum non abiit , nec speravit in pecunia thesauris* .

## SECTIO VIGESIMA SEXTA

*Si habere contingat , utere non pro libitu , sed pro tempore , sic eris utens illis , quasi non utens .*

**F**Idelium pietas , devotio , & obsequium erga Ecclesiæ proceres , illos fecit copiosis oblationibus auri , & argenti , necnon possessionum divites , per quas jam ab Apostolorum tempore cœpit Ecclesia , incontestabili donationis titulo , suum augere Patrimonium , à devoto Constantini obsequio , aliorumque Principum ampliatum , quod piis semper in usus expendere consuevit , detractis , quæ ad convenientem ministrorum suorum sustentationem inseruiunt . In veteri lege Ecclesiam abundasse in divitiis , sat is comprobatur exemplo divitium Patriarcharum . Quapropter non incongruè etiam in lege gratiæ , aurum , & ar-

gen-

gentum possidere valent Ecclesiastici Proceres. Hoc unum attente ab ipsis præcavendum, ne forte ob malum divitiarum usum, fiant ipsis in offendiculum, itaut qui aperire debent fidelibus (facultates suas Religionis gratiâ offerentibus) æterna tabernacula; ob malum hujusmodi divitiarum usum, ab æternis tabernaculis excludantur. Si ergo contingat Ecclesiasticos habere aurum, & argentum, uti debent, *non pro libitu, sed pro tempore, itaut eis utan-*  
*tur, quasi non utantur. Non pro libitu, idest non in va-*  
*nitatibus, non in offerendis ad idola viventia muneribus,*  
*sed pro tempore, scilicet in piis operibus, aut instituen-*  
*dis, aut promovendis.*

### SECTIO VIGESIMA SEPTIMA

*Ipsa quidem, quo ad animi bonum spectat, nec bona, nec mala, sollicitudo peior, quaestus turpior.*

**I**N lege gratiæ, æquè ac in lege veteri, cum fuerint sanctissimi Viri, copiosissimis cumulati divitiis, non erit incongruum etiam Ecclesiasticos possidere divitias, maximè cum easdem Deus nunquam prohibuerit, sed solum, ne divitiis cor apponерemus, inhibuerit; ideoque non dixit, nolite divitias habere, sed *divitiae si affluant nolite cor apponere*. Ex quo patet Deum non damnare divitias, sed cor appositum, quod divitias non expendit, sed recondit. Pauperem divitiis inhiantem, inter divites reprobos reputat Altissimus, qui divites, & pauperes interrogat in corde, non in Arcâ. Hinc discant divites, non in facultatibus crimen haberi, sed in malo usu; nam sicut divitiae impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adjuncta virtutis. Sublatus est pauper in sinu Abrahæ divitis, quia ambo divites Deo, ambo à cupiditate alieni. Non ergo culpaveris divitias, sed indebitum earumdem usum, sicut nec de ebrietate vinum, sed usque ad ebrietatem bibentem. Utatur Christifidelis auro, & argento,  
non

non pro libitu, sed pro tempore, *ut sit utens, tanquam non utens*. Christianum, divitiæ si accedant, non debent extollere, sicut nec frangere si recedant. Aurum, & argentum, & cætera hujusmodi, *quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala, horum tamen abusio mala, sollicitudo peior, quaestus turpior*. Sudat pauper in opere sub dio, sed numquid minus anxiè divitiis inhians, in sua cogitatione laborat? Interdum gravius hic fastidio, quam ille labore cruciatur, & quamvis corporaliter non laborans, miserè tamen à desiderio, & cupiditate auri fatigatur: semper timens ne perdat quod habet, semper anxius ut acquirat, quod non habet, nescit quietem; cui enim deest securitas, quies perit. Pauper est, non qui multum habet, sed qui multum desiderat: è converso, dives est, non qui multum possidet, sed qui modico contentus vivit: si ad naturam vivat homo, nunquam pauper erit, si ad opinionem, nunquam erit dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Divitiarum acquisitio laboris est, possessio timoris, amissio plena doloris. Quid tibi o Homo cum divitiis, quæ nec tuæ sunt, nec veræ sunt. Si tuæ sunt, tolle eas tecum, scriptum tamen est, *homo cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus*: Cum Christus dixerit. Beatos esse pauperes. Veh, veh divitibus. Divitias esse laqueum Diaboli, expressis verbis testatur Apostolus ad Timotheum, in eo erudiens omnes, ut caveant ne incident in laqueum Diaboli. Plures invenire est Ecclesiasticos à cæteris vitiis, paucos ab avaritia immunes, ideo monet Apostolus, ut oculati vivant, ne incident in hoc laqueum Diaboli. Veh Ecclesiasticis, quorum studium ad hoc tantum collimat, ut in copia auri, & argenti consanguineos suos faciant hæredes, ideo parcè, imo sæpè miserrimè viventes, ut oppiparè luxurientur nepotes, dupliciter hinc facti, & sui, & suorum proditores. Proditores sui, quia vitam miseram ducunt; proditores suorum, quia ad laqueum Diaboli eos perducunt. Non nepotum, sed pauperum est,

Io. I.

I i

quic-

quicquid convenienti suæ sustentationi subtrahit, de bonis Ecclesiæ cumulatus. Sacrarum divitiarum usus, abusus est, quandocumque earundem dispensatio, juxta Sacros Canones non sit accomoda; sollicitudo peior, si congregaturus divitias tempus inutiliter terat; cum solis bonis operibus cumulandis debeat esse intentus; quæstus turpior, si spe auri affectus, negotiationem exerceat, quam leges Canonicae vetant.

### SECTIO VIGESIMA OCTAVA

*Esto ut alia quacumque ratione hæc tibi vindices, sed non  
Apostolico jure; nec enim ille dare,  
quod non habuit, potuit.*

**U**T Dominum sequeretur Apostolorum Princeps, cum omnia reliquerit, nihil sibi, nec rete quidem retento, utique non potuit successores suos, ex ære doméstico alicujus patrimonii hæredes constituere. Nihilominus jam à limine Ecclesiæ oblatas fuisse Petro, utpotè Christi Vicario, à fidelibus facultates, ex ipsis Apostolorum Actibus manifestè colligitur; hujusmodi oblationum, quæcumque illæ fuerint, sive auri, sive argenti, sive agrorum D. Petrum, ejusque successores, nomine Ecclesiæ fuisse dispensatores, veritas est inconcussa. Itaque jure oblationum, & donationum, quas successivis temporibus pietas fidelium Deo sacravit, Ecclesia facta est dives, & divitiarum ejus dispensatio, ad Summos Pontifices, utpote Ecclesiæ Principes, legitimè spectat. Quam veritatem profiteatur in præsenti Sanctus Bernardus, dum aurum, & argentum, Eugenium sibi vindicare autumat, *non Apostolico jure*, Petrus enim, *quod non habuit, dare non potuit, sed alia ratione*, idest quatenus bonorum omnium, quæ Ecclesia quocumque legitimo jure, successivis temporibus erat acquisitura, successores D. Petri, etiam dispensatores sunt constituti.

## SECTIO VIGESIMANONA

*Quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi  
super Ecclesias.*

**S**ollicitudo super Ecclesias, ab Apostolico munere est in-  
divisibilis; ideo quicumque Pastorali munere conde-  
corantur, hæreditatem capiunt sollicitudinis, super Eccle-  
siam sibi commissam. Cum autem Petro, ejusque succes-  
toribus commissa sit à Deo cura universalis Ecclesiæ, ideo  
scripsit S. Bernardus: *Quod habuit hoc dedit, sollicitudi-  
nem super Ecclesias.* S. Ber. Ep. 131. Plenitudo siquidem  
potestatis super universas orbis Ecclesias, singulari præroga-  
tiva, Apostolicæ Sedi donata est.

## SECTIO TRIGESIMA

*Nunquid dominatorem, audi ipsum; non dominantes, ait,  
in Clero, sed forma facti gregis, & ne dictum sol-  
humilitate putas, non etiam veritate. Vox Domini est  
in Evangelio. Reges &c.*

**S**i gloriari fas est Apostolicis viris, Apostolorum gloria  
proponitur, sed quò ad externum Ecclesiæ decorum  
spectat, cum Christus temporum exigentiis Ecclesiam suam  
accomodari voluerit; atque præsciverit, sine splendore  
temporalis dominationis, congruam processu temporis ve-  
nerationem non esse consecuturam, terrenis Potestatibus,  
singulari pietatis fervore, erga Ecclesiam suam à Deo ex-  
citatis; factum est ut plures Principes, vel in toto, vel in  
parte, suo se spoliarent dominio, illudque tanquam suæ  
devotionis tributum, Ecclesiæ devoverent; quæ hujusmodi  
pietatis ampliata monumentis, cœpit per Apostolorum  
successores, qui Ecclesiæ præsunt, in acquisitis Principa-  
tibus exercere dominium, quod non meliori jure posside-  
tur, quam si liberæ donationis titulo acquiratur. Quòd si

in lege Judaicâ, compatibiles erant cum Patriarchis, & summis Sacerdotibus divitiae multæ, & amplissimæ possessiones; non est undè causentur Hæretici, si in lege gratiæ, cum summo Pontificatu unitam dominationem temporalem conspiciunt, quam summi Pontifices, jam à temporibus Constantini acquisierunt, & opitulante Imperatorum, & Principum pietate ampliarunt. Ex quo hujusmodi splendore amplissimi dominatus sunt circumfusi Pontifices, multos ex eorum serie veneramus, inter Sanctos relatos, miraculorum gloriæ celebres: undè liquet colligere, dominationem temporalem, quam exercent Pontifices, neque cum Pontificatu esse incongruam, nec Pontificum sanctimoniac officere. Hanc temporalem dominationem, supernæ dignitati Sacerdotali venerationem augere, maximè hisce temporibus, quibus homines externæ rerum apparentiæ plus deferunt, quām rerum substantiæ, negari haudquam potest; proindè Altissimus, qui in externo Ecclesiæ regimine, inscrutabili sua providentia, temporum necessitatì se quodammodo accommodare patitur; ad majorem conciliandam ab hominibus summo Sacerdoti venerationem, temporalem dominationem cum Pontificatu conjunxit.

Summos Sacerdotes, ex oblationibus à Gentilibus factas, opulentissimos evasisse non ignoramus; proindè etiam inter ipsos Sacerdotium opibus cumulatum, majorem sibi venerationem, à populis externo decore captis, conciliavit. Congrua est itaque, unà cum summo Sacerdotio, temporalis dominatio. Neque S. Bernardus dicens: *Apostolis interdictitur dominatus*, intendit asserere incongruam cum summo Pontificatu dominationem, maximè cum pluribi Præsules, ad custodiendum Ecclesiasticum Patrimonium, excitet. Qualis autem fuerit S. Bernardi sensus, circa dominationem Pontificatui adnexam, non aliundè melius. Colligi potest, quām ex his, quæ S. Abbas egit in causa Arnaldistarum, ut Pontificatus jura sustineret, circa dominationem ipsam, quam potissimum convellere, & ad nihil redigere conabantur Arnaldistæ, ut antiqui Senatus jura

jura restituerent, cum omnimoda exclusione dominationis, quā jam à pluribus sēculis potiebantur Pontifices. Quantum itaque ad sustinenda jura Pontificiæ dominationis insudaverit S. Bernardus, quibus laboribus in hac causa non pepercerit, omnibus notum; sicut etiam non est, qui ignorare valeat, qualiter S. Abbas ad Romanæ Urbis Proceres, datis epistolis, eosdem excitaverint ad servandam debitam submissionem Romano Pontifici, utpote Christi Vicario, & Supremo, etiam in temporalibus, eorum Domino; repetitis vicibus Romanos adhortatus, ut ab Urbe Arnaldistas, collectis viribus expellerent, & Romanum Pontificem suum Principem, in suo sinu confoverent: *Vide epist. numero 243.* Ex quibus omnibus liquido constat Sanctum Bernardum, cum scripsit: *Apostolis interdicitur dominatus*, utique agnovisse Pontificem, etiam Principem, atque Dominum temporalem, & solummodo intellexisse hoc dominium non competere Pontifici ex Apostolico jure, quatenus scilicet est summus Sacerdos, Christi Vicarius, Ecclesiæ caput, Petri successor, sed alia ratione; quapropter subjunxit: *Esto ut alia quacunque ratione hæc tibi vindices.* Quibus verbis patet S. Bernardum agnoscere Romanum Pontificem temporalem Dominum, ratione scilicet juris acquisiti, ex donationibus, oblationibus, & cessionibus in favorem summi Pontificis sponte factis ab Orthodoxis Principibus, & à divitibus sēculi, sola pietate, & obsequio erga S. Sedem, piè offerentium animos impellente: sicut autem Christus nullibi prohibuit sibi, vel in sui persona Vicarii, oblationes fieri, quas ipse Christus, cum in carne mortali apparuit, à Magis gratiōe acceptavit; ita etiam nullibi legitur suæ præcepisse Ecclesiæ, vel suo Vicario, ne oblationes factas reciperet, ex quibus oblationibus ampliatam est Patrimonium, vulgo D. Petri nuncupatum, quod nunc summi Pontifices, incontestabili jure donationis, legitimè possident, & prout temporum necessitas exigit, ad ministrorum suorum sustentationem, ad Ecclesiæ defensionem, ad confugientium Catholicorum,

quos

quos Hæretici vexant , subsidium impendunt.

Hortatur S. Abbas Pontifices , ut possideant tempore dominium , tanquam non possidentes ; ut scilicet inter Pontificatus splendores , & opulentias , humilitatem custodian , imò & paupertatem ; Animum suum servantes à fastu , & dominatione alienum . Hic est dominatus , qui Apostolis interdicitur , tanquam Christi discipulis , qui in ingressu Jerusalem , Regios sibi oblatis honores , non despexit , sed cum humilitate composuit . Habet Evangelium , & perfectionis consilium , & infirmitatis remedium . Spiritus paupertas servata inter affluentes divitias , per annum à divitiis alienum ; Divitarum profusio facta in elemosynas à Sacerdotibus , quibus divitiae affluunt , remedia sunt infirmitatis . Omnimoda divitarum abdicatio , quando compatibilis est cum statu , dignitate , gradu , & ministerio , quod exercet Sacerdotio insignitus , est perfectionis consilium . Hæc autem abdicatio , in præsenti rerum serie , fieri nequit ab illis , qui ratione dignitatis , & ministerii , debent indispensabilibus succumbere expensis , & congruum dignitati decorem sustinere , ratione humanæ infirmitatis necessarium , quæ jam penè nescit venerari Ecclesiæ Primates , nisi etiam videat externo decore circumamicatos . Quapropter ad custodiendam , debitam summo Sacerdotio , venerationem , disposuit Altissimus , ut Sacerdotium cum Regno in Summo Pontifice componeretur , & ut temporale dominium , esset cum summo Sacerdotio connexum .

### SECTIO TRIGESIMA PRIMA

*At si interdictum tenemus , audiamus edictum , qui major est vestrum , fiat sicut minor , & qui præcessor est , sicut qui ministrat . Forma Apostolica hæc est &c.*

**F**astigium Pontificii honoris , oneris gravitatem , Pontificatus munera , & pericula , ponderat S. Bernardus  
*Epist.*

*Epist. 138.* Non modo D. Bernardi, sed sanctorum Pontificum, Gregorii, Leonis, Augustini, Ambrosii, aliorumque Ecclesiæ Patrum, si quis investigare velit, qualis fuerit sensus de Summo Pontificatus honore, seu potius onere, munere, & ministerio, facile reperiet indici Pontificibus ministerium, exemplo legislatoris, qui in medio discipulorum suorum, fuit tanquam qui ministrat, non tanquam qui dominari ambiat; propterea de se perhibuit, quod venerit ministrare, non ministrari; itaut nemo assumptus ad Pontificatum, hoc titulo Ministri, potius quam Domini se inglorium putare debeat, quo se se prior Dominus gloriae insignivit. *Edictum* itaque est de ministerio, *interdictum* de dominatione, *editum* est de sollicitudine, *interdictum* de otiositate.

## SECTIO TRIGESIMA SECUNDA

*Præclarum ministerium, quo non id glorioſius  
Principatu &c.*

**E**piscoporum gloriam sitam esse in sola Cruce Domini, suadere nititur S. Bernardus, ut quemcumque Episcopali munere insignitum, ab ambitionis, jactantiae, & vanæ gloriae stimulis cautum faciat, itaut æmulari magis studeat Apostolum, non gloriarem, sed nec audentem se comparare quibusdam, qui seipso commendant. Si Episcopo gloriari fas est, sola sanctorum forma præfigitur, & Apostolorum gloria proponitur: sapientis consilium est, *quanto major es, tanto humilia te in omnibus*; sapientiae vero præceptum, *qui major est vestrum, fiat sicut minor*; dignatio quippè subjectionis, prælationis reddit indignum. In alto positum, non altum sapere, difficile est, & fere omnino inusitatum, sed quanto inusitatum, tanto glorioſius. Certum est, quod quemcumque sanè sentientem de sua dignitate, tædere magis, quam placere faciet altiora, timor de adepta altitudine. Qui cæteris præst, prius

se

se agnoscat hominem , quām potentem , & Centurionis  
 cedoctus exemplo , statim jactari desinet de suā potestate ,  
 quam Centurio , nec solam protulit , nec priorem ; dictu-  
 rus quippè , *habeo sub me milites* , præmisit . *Homo sum*  
*sub potestate* ; Prius se agnovit hominem , quām potentem ;  
 agnovit inquam se hominem homo gentilis , ut se jam  
 adimplere ostenderet , quod longè ante dixerat David .  
*Sciant gentes , quoniam homines sunt* . Præmissa est itaque  
 à Centurione humilitas , nè altitudo potestatis præcipitem  
 faceret ; nec enim locum invenire potest arrogantia , ubi  
 tām clarum humilitatis insigne præcessit . Qui de digni-  
 tate , ad quam sublimatus fuit , gloriari incautè non vult ,  
 agnoscat se esse hominem , & in solā Cruce Domini di-  
 scat gloriari .

### SECTIO TRIGESIMATER TIA

*Hoc glorieris opto , semper optimo genere gloriae , quod*  
*Apostoli , quod Prophetæ diligere sibi ,*  
*reliquere tibi &c.*

**S**anctorum glorias dignā laude colloquitur , qui eorum  
 mores , & justitiam imitatur : aut laudare non bebet ,  
 si imitari detrectat , aut se reddat laudabilem : Gloria San-  
 ctorum sola crux fuit , hujusmodi esse debet gloria Epi-  
 scoporum , ut similes fiant in gloria Sanctorum , a quā lon-  
 gè absunt , qui totam Episcopatus gloriam in hoc repon-  
 nunt , quòd præsent populis multis , quòd multas Civitates  
 propriæ Diœcesis ambitu circumcludant ; quòd gratiæ , &  
 favori Principum præpostorè vellificare didicerint ; quòd  
 incedant nitidi , & ornati , circumamicti varietate : nimis  
 in hâc gloriâ molle , nimis resupinum est intueri . Cum  
 gloria Episcoporum divitias redolente , quomodo compati-  
 bilis esse potest paupertas Ecclesiæ , eorum curæ com-  
 missæ ; itaut sàpè inops , & nuda relinquatur , ubi domus  
 mansionis Episcopi , sericis ornata est pannis . Facilius est in

viâ hâc qua ambulamus invenire Pastores , qui gloriantur in divitiis multis , quâm in laboribus plurimis . Multos videmus Ecclesiæ Prælatos, rubicunda facie , nimiâ carnis pinguedine tumescentes , quorum Ecclesia facie miseranda , inculta , & hispida exanguis appetet . Utinam quantum student ornare seipso , tantum curæ sponsæ ornatui adhiberent , & sicut de bonis sponsæ seipso impinguant , saltem sponsam , ad extremam usque maciem radactam , non derelinquerent . Proculdubio inanis est , mollis , & resupina Episcoporum gloria , quæ sola divitiarum multitudine cumulatur ; laborem , paupertatem , & crucem delegere Apostoli , reliquere successoribus ; tunc solum fælices , & gloriosi censendi , cum dicere poterunt : laboravi , & gloriam meam in sola cruce Domini repositam volui .

### SECTIO TRIGESIMA QUARTA

*Si labor terret , merces invitet , unusquisque enim secundum suum laborem mercedem accipiet &c.*

**N**on sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam ; quapropter *si labor terret , merces invitet* . Audire jam libeat de quanto , & quali laborum acervo , ascenderint Sancti ad gloriam . Ludibria , & verbera experti , insuper vincula , & carceres ; lapidati sunt , seeti sunt , in occisione gladii mortui sunt . Apostoli vero ibant gaudentes à conspectu Concilii , quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati . Videant nunc Apostolorum successores , quanto sit eorum fides probata scrutinio , quibus testimonii examinata , nempe laboribus , contumeliis , angustiis , & ad Apostolorum imitationem induant fortitudinem , præcingant se virtute , & laborioso operi insistant , ad quod fuerunt à Deo vocati ; ut nempe exeant in agrum Domini , in suas scilicet Dioeceses , & diligenter considerent , quantis de veteri maledicto silvescant tribulis , & spinis , ut eas eradicent , ut exterminent .

nent. Et si enim Apostoli in agro Domini multum laborarunt, non tamen totum laboraverunt, & adhuc Apostolico labori est locus. Agnoscant itaque Episcopi, necessarii laboris debitum, sed non sentiant jugum. Hæc vera Præsumptio gloria, sed nil in eâ inane, nil molle, nil resupinum. Ad Episcopales Cathedras assumpti, ad laborem vocantur, non ad delicias. Profectò unusquisque secundum suum laborem, non secundum deliciarum affluentiam, mercudem recipiet. Non modò imprudentes, sed impudentes sunt, qui sedere contendunt ante laborem, & metere priusquam seminaverint. Dicant, & proferant, quid laboraverint in agro Domini, qui ex quò ad Cathedram fuerunt assumpti, semper desidiosi vixerunt. Duo sunt manipuli, quos solum quærunt quidam Episcopi, honoris scilicet, & quietis; sessionem affectant, & altitudinem. Sed sic profectò non continget, & secus res se habebit. Sciant proindè miserè se esse deceptos. Qui hujusmodi sunt non colligent, quia non seminaverunt; illi solummodo, qui seminaverunt laborem, metent honorem, & quietem: nec sibi blandiantur, qui audiunt in Evangelio promittentem Dominum, & dicentem *sedebitis super sedes*. Utique ibi agitur de quiete sessionis, & honore judicii, sed ad hæc, nec ipse Christus pervenire voluit, nisi per laborem; quapropter, qui Dominum in laboribus imitari renuerit, non modo non sedebit, sed stabit; imò coram Domino, severè judicandus astabit.

### SECTIO TRIGESIMA QUINTA

*Et tu leva oculos quosdam considerationis tuae, & vide  
regiones, si non sint magis siccæ ad ignem,  
quam albæ ad messim.*

**S**Ub metaphora annosæ, & veternosæ arboris, non nisi glandium, & siliquarum fructiferæ, innuere crediderim S. Bernardum Eugenio, quorundam Ecclesiasticorum vitam, qui

qui à juventute usque ad canos occupaverunt sedem , non impleverunt munus , eò quod suis solum studuerint commodis , nullatenus spiritualibus incrementis . Illorum itaque improbat vitam , qui licet præfecti tanquam Pastores , more pecudum sensibus incubant corporeis , hærent infimis , inhiant terrenis ; contrà quorum parsimoniam in alios , prodigalitatem erga seipso , clamant pauperes , à quibus crudeliter subtrahunt , quod inaniter expendunt . Detrahentes eorum necessitatibus , quod accedere faciunt suis vanitatibus ; qui sic se gerunt , tandem in ipsâ abundantiâ pereunt , dum minus solliciti erga pauperes , eosdem perimunt , perimentes simul , & pereentes . Facti proinde in agro Domini , tanquam annosæ , & veternosæ arbores , nonnisi glandium , aut siliquarum fructiferæ . Si hujus furfuris Ecclesiasticos (quod non faxit Deus) adhuc esset invenire nostris temporibus , quorum annosam , & veternosam vitam deplorabat suo Ævo S. Bernardus , pudeat otiosam jacere Apostolicam falcem : summa siquidem sua potestate uti debet Summus Pontifex , contra veternosas arbores , agrum Domini occupantes , ut eas evellat , destruat , & disperdat , quandocumque evellendas ab agro Domini animadverterit . Sive in Sacerdotio , sive in Regno abusus irrepserint , debet Summus Pastor accingi gladio suo , quod est verbum Dei , ad faciendam vindictam in nationibus , & increpationes in populis .

## S E C T I O T R I G E S I M A S E X T A

*In hunc quondam agrum Ifuac Patriarcha exierat  
cum primo Rebecca occurrit ei &c.*

**Q**uali , ac quanto timore concuti debeant , ad Praleturas vocati , pluribi exprimit S. Bernardus , de hac materia differens , cum scribit ad Ecclesiasticos , quos noverat jam propè esse Episcopalibus sedibus implendis designatos . Seriò proinde legenda , præ cæteris , ejus epistola

n. 8. ad Brunonem Coloniensem electum, cui patefacit, quanta cum deliberatione, & sanctitato suscipienda sunt Prælationes. Quapropter necesse est cuicunque ad Episcopalem Cathedram assumpto, seria prius exarsisse in meditatione; quod si tunc hæsitare incipiat, cum jam pastorale munus, ex jure assumpti honoris, exercere tenetur, id quidem sero; antè juxta consilium Salvatoris sedere debet, qui ad Episcopatum designatur, antè existimare opus, metiri vires, ponderare sapientiam, merita comparare, sumptus computare virtutum, & scrutari, si ad tantum onus ferendum, vires sufficient. Quod si adeò circumspectus esse debet ad Infulas designatus, priusquam oneri humeros submittat. Quid sentiendum de his, qui ultrò ambiunt Episcopatus, & intrudi conantur. Profectò difficilis solutionis res est discernere, an ad Episcopatum assumpitus, verè fuerit à solo Deo vocatus; in quo casu, ubi de superna constet vocatione, nemo recusare debet honorem, & onus tenetur suscipere. Quod si vocatio non sit à Deo, sed quæsita, sed extorta, horrendum veh' imminet his, qui appropinquant, & onus sibi imponunt, quod etiam grave esset Angelicis humeris. Certum est Prælaturæ officium non fugiendum, quando administrari potest cum fructu animarum, nec recusandum præesse, dum prodeſſe, quis potest; sed è converso, qui se in Prælatitio honore inutilem futurum prævidet, pari sollicitudine debet ab Episcopali munere suscipiendo abstinere. Itaque quisquis Prælationem est suscepturus, seriam præmittere debet meditationem, & juxta Salvatoris consilium, *opus est metiri vires, ponderare sapientiam, merita comparare, & sumptus computare virtutum*. Veh illis, qui ad Cathedras currunt, tanquam in incertum, sine prævia meditatione, quid sustinere valeant humeri, quid ferre recusent: *Antequam suscipias onus, astima opus*. Metiri vires, inire consilium, cogere concilium necesse est, nè cum Prælationem assumpseris, imparem oneri assumpto, quomodounque te exhibens, aut deficientia mēritorum, vel sapientiæ, vel virium, de te dicatur

catur quod scriptum est. *Isaiae cap. 16. Ambitio ejus plus quam fortitudo ejus.* Sunt enim qui jam cadentibus annis, adhuc fortes facti ad ambiendum, semel ac honorem sunt consecuti, ad onus sustinendum apparuerunt viribus destituti; satis constat non oneri, sed honori, non labori, sed Prælationi inhiasse. Veh' disciplinæ Ecclesiasticæ, sed magis horrendum veh' disciplinæ regulari, ubi de his qui ad Prælationes assumuntur dicere occurreret. *Ambitio ejus plus quam fortitudo ejus.*

## SECTIO TRIGESIMA SEPTIMA

*Age ergo, puta tempus putationis adesse, si tamen meditationis præcivit &c.*

**P**rælati consolando, exortando, increpando, agunt opus, portant onus suum, & portando sanant, quos sanandos portant. Ad hoc præstandum moveant linguam, moveant, & manus, glorificantes manum, & brachium in faciendo vindictam in nationibus, increpationes in populis, scilicet exterminantes abusus, extirpantes peccata, erradicantes vitia; quod assequuntur, si voci suæ dabunt vocem virtutis, itaut eorum opera verbis concinant, imò verba operibus, studentes videlicet prius facere, mox docere, cum certum sit, sermonem quidem vivum, & efficacem exemplum operis esse, facile faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur.

Qualis zelus in Prælatis Ecclesiæ requiratur ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ut hæc facientes honorificare valeant ministerium suum, non melius exprimi potest, quam ipsius S. Bernardi sensibus quos profert in suis epistolis; inter quas ad rem, præ cæteris videri possunt *Epiſtolæ 219. 220. 221.* Certè si Bernardo pares haberent hæc tempora, etiam Regna haberrerent Ludovicos. O utinam contingaret Bernardo similes consiliarios, & confessarios, sortiri Reges, & Principes.

O uti-

O utinam Bernardi zelo astuantes, ditiones omnes possent sortiri Prælatos; facerent utique in tempore opportundò vindictam in nationibus, increpationes in populis; ad alligandos Reges eorum in compedibus solidæ pietatis erga Deum, qui aufert spiritum Principum; & nobiles in manicis ferreis sancti timoris erga eum, qui etiam est terribilis apud Reges terræ. Timore concutior, dum ex una parte lego, quām graviter Ludovicum Regem arguat Sanctus Bernardus, in præcitatis epistolis 220. 221. eò quòd pravis consiliis adhærendo, pacis consilia respuebat: & ex parte alia considero, quanta cum adulazione suos alloquantur Principes Aulici. Quapropter juvat repetere, quòd si Bernardo pàres haberent hæc tempora, etiam Regna, haberent Ludovicos rationi acquiescentes; Nonne, qui Bernardum legit severè, & justè Regem corripiuentem, alterum novæ legis Hieremiam, sive Eliam non parcentem Regi, per devia gradienti meritò dixerit; sed quis est, qui nunc audeat stare coram Rege, & invicto animo cum D. Bernardo justitiam, & veritatem, cum tempora exigunt patefacere: ut plurimum Aulici quærunt, quæ sua sunt: adulatoriis loquuntur linguis, fucata omnia propnunt suis Principibus, qui interim decepti, ab assumptis causis non recedunt, quia Monitores sinceros non habent. Ludovicus Rex Franciæ, credens in injuriam suæ dignitatis assumptum Bitturicensem Archiepiscopum, in multorum præsentia juraverat, quod Archiepiscopus præfatus, quamdiù ipse Rex viveret, Bitturicensem Civitatem non intrasset. Nihilominus monente, & suadente D. Bernardo à juramento recessit, Archiepiscopo benignè recepto. Ecce quomodo S. Bernardus fecit vindictam in nationibus, increpationes in populis, alligavit Regem in compedibus sanctæ submissionis erga Deum, ejusque Vicarium summum Pontificem, & nobiles Regni in manicis ferreis, veri & sancti timoris erga illum, qui aufert spiritum Principum, & terribilis est apud Reges terræ. Nec putavit Rex, licet jure jurando adstrictus, monente D. Bernardo, Regiæ di-

dignitati injuriam facere , etiamsi à juramento , cui injus-  
tè se obstrinxerat , recederet . Quantò magis in causis  
minoris ponderis , quām fuerit Ludovici causa , non debe-  
rent sacerduli Magnates , contra Ecclesiæ monita , consilia ,  
& jura indurare cervicem , ob prætextum læsi honoris , si  
ab assumptis causis deflectant , cum imò perspicuum sit ho-  
norificari Principes , quotiescumque Prælatorum obtempe-  
rant monitis , & Ecclesiæ jura servare conantur . In Re-  
gum fastis , magis emicat Theodosius Ambrosio increpanti  
obtemperans , quam Alexander de Medis , Partis , & In-  
dis triumphans .

Qualiter debeat Prælati honorificare ministerium suum ,  
moventes cor , linguam , & manus , accingentes se gladio  
suo , quod est verbum Dei , glorificantes manum , & bra-  
chium , optimè exprimitur in specie quatuor animalium ,  
quæ in Prophetica visione apparuisse leguntur , in quibus  
Pastores Ecclesiæ benè videntur designari ; opus est enim ,  
ut omnis Prælatus , qui honorificare desiderat ministerium  
suum , Leonem sese exhibeat , intrepidè corrigendo delicta ;  
Bovem strenuè tractando terrena ; Hominem benignè ho-  
minibus compatiendo ; Aquilam sublimiter evolando media  
contemplatione cœlestium . Timeo autem ne inter Prælatos ,  
aliquem sit invenire , qui nimis habeat de leone , parum  
de homine , immoderatè in subditos sæviens , cum austeri-  
tate , & potentia imperans ; nec hominem se se erga ho-  
mines exhibens : vel etiam , qui nimis hominem , parum  
Leonem se probat , quandoquidem nimis compatiens delin-  
quentibus , nec criminibus indignatur ; vel qui nimis de  
Bove , minus de Aquila habeat , terrenis immoderatius incu-  
bans , parum inhians cœlestibus ; vel qui demum , magis  
quam par sit Aquilam imitari studeat , Bovem verò mi-  
nus quām debeat , sic quærendo cœlestia , ut nolit admi-  
nistrare terrena . Omnis Pontifex in suo Regimine , æqua-  
nimiter Boveni , Leonem , Aquilam , & Hominem se ex-  
hibere tenetur .

## SECTIO TRIGESIMA OCTAVA

*Non mediocris iste est Principatus, exturbare est hoc malas bestias à terminis istis tuis, quò greges tui securi in Pascua educantur.*

**T**A'm nocent Ecclesiæ falsi Catholici, quàm manifesti Hæretici. Pluribi S. Bernardus, utrosque sub nomine bestiarum, Vulpecularum, & Luporum designat. Ad hujusmodi malas bestias exturbandas à terminis Ecclesiæ, excitat Zelator Bernardus in præsenti Summum Pontificem, & cum eo omnes Ecclesiæ Pastores, ut Grex Domini securus educatur in Pascua. Contra hujusmodi perditionis viros invehi, est facere vindictam in nationibus, increpationes in populis.

## SECTIO TRIGESIMA NONA

*Domabis Lupos, sed ovibus non dominaberis, pascendas utique, non præmendas suscepisti.*

**U**Tinam non sit invenire inter Ecclesiasticos Pastores, qui dominari potius ovibus, quàm Lupos domare studeant; qui premere, non pascere suscipiant Catholicum gregem; Hujusmodi esse perhibentur, qui patientius ferunt Christi injuriam, quàm propriam; qui satis superque ad manum habent, quibus animas credant, & cui suas committant facultates, non inveniunt; qui magnam de minimis, parvam, aut nullam de maximis curam gerunt; qui quotidianas expensas ad quotidianum revocant scrutinium, & Dominicis Gregis, sibi commissi, detrimenta reparare non curant. Qui Pastor est, non mercenarius, totus est in sui cura oivilis, semper paratus animam suam ponere pro ovibus suis, & quamvis in grege suo Lupos multos, oves paucas discernat, stat in medio Luporum Pastor intrepidus, omnimodis argumentosus, quomodo faciat oves de

de Lupis, monendo charitativè, arguens sine ira, nunc asperè, nunc leniter conveniens; pro ut unicuique expedire animadverterit. Cor contritum, & humiliatum offerens pro grege, quem pascendum, non premendum suscepit. Difficile admodum est, ut qui oves domare suscepit, etiam dominari non ambiat. Meminerint proinde Episcopi, quod ille tantum mœretur præesse in domo Dei, qui studet prodefse. Quomodo autem prodefse poterit, qui nec artem novit, quà sciat curare, nec doctrinam habet, quà sufficiat pascere; cuius imperitia prohibet esse super alios, cuius imbecillitas vix pateretur esse inter Clericos. Sæpè mercenarios, non semper Pastores est invenire in domo Patris.

### SECTIO QUADRAGESIMA

*Si ergò bene considerasti, quis sis, hæc te oppondere facere non ignoras.*

**U**NUSQUISQUE pro suo munere manus debet admovere ad opus. Ecclesiastici Præfules pascendas oves suscepérunt, debita itaque in pascua eas introducant. Sunt qui non benè considerant quid sint, propterea ignorant, quid facere debeant. Et hic ad rem recurrit, quòd supra Sectione xxxvii. de munere Episcopali tractavimus. Sed gratiam rectè pascendi, & bene implendi munus suum à Deo esse petendam, nemo non ignorat; cum res ardua sit, Episcopale munus rectè adimplere. Tu ergo Domine Deus, qui subesse mones, & nihilominus præesse jubes, à te expetunt, & expectant Ecclesiarum Præfules, ut humiles simul, & utiles in injuncto eos facias ministerio. Humiles, vera de seipsis sentiendo, quod consequentur, si benè qui sint, seipso consideraverint; utiles, bona pro Ecclesiæ incremento operando. Da sermonem rectum, & bene sonantem in aperitione oris eorum. Tu qui dixisti aperi os tuum, & implebo illud; & quis alias æquè Dives, aut liberalis ad præstandum, sicut Dominus omnium, Dives in omnes, qui invocant illum.

## SECTIO QUADRAGESIMA PRIMA

*Porrò scienti, & non facienti peccatum est Tibi: Apostoli apparuerunt fortes in bello, non molles in sericis.*

**Q**ui Pastoralem curam assumunt, illud Jacobi monitum semper præ oculis habeant. *Scienti, & non facienti peccatum est ei.* De Evangelio vivere, & juxta Evangelium non conversari, non est exequi voluntatem Domini, qui si vult Præsules de Evangelio vivere, etiam exigit Evangelicè vivere. Sciant ergo Pastores Ecclesiæ voluntatem Domini sui. *Quod si non faciant digna, justè timeant plagis vapulare multis;* si Episcopus Pastor est, & oves populus, dignum est Pastorem ovibus esse dissimilem, non tantum excellentià status, sed & vitæ sanctimo niā: si instar mei qui ovis sum, Pastor meus & ipse incurvus graditur, vultum gerens deorsum, & terram semper respiciens, mente jejonus, soli ventri pabula quærens, in quo discernimur? Veh si venerit Lupus, non erit, qui prævideat, qui occurrat, qui eripiat. Utique indignum est Pastorem more Pecudum sensibus incubare corporis, hærere infimis, inhiare terrenis; & non potius eretum stare, & tanquam hominem cælum mente suspicere, quæ sursum sunt quærere, & sapere, non quæ super terram. Unde autem scire poterit Pastor animarum, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, ut faciat eam, qui nec pulsare, nec petere consuevit. Qui donec alienarum curas fusciperet animarum, nunquam animæ suæ curam gessisse visus est, tanquam si in vano eam accepisset. Cæterum de illis Pastoribus, qui etiamsi intelligent Dei voluntatem, negligunt tamen illam facere, imò adversantur ei, melius est silere, quam loqui: ipsi viderint, qui scientes, & non facientes voluntatem Domini, quali, & quanto peccato se coquinant. *Servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis.* Non sic se gesserunt Apostoli, non sic Prophetæ, qui fortes

tes fuere in bello , non molles in sericis , non molles in servorum copia , sed progredientes cum pauperum turba , non molles in magnificis habitaculis , sed vix habentes ubi reclinarent caput , non molles in exquisitis dapibus , sed sufficienti victu contenti , manus suas miserunt ad fortia .

### SECTIO QUADRAGESIMASECUNDA

*Si filius es Apostolorum , & Prophetarum , & tu fac similiter ; vindica tibi nobile genus similibus moribus , quod non aliundē nobile , quam morum iugenuitate , & fidei fortitudine fit .*

**A**D Apostolorum , & Prophetarum exemplum provoca S. Bernardus Pontificem , & cum eo quotquot Prælatitia fulgent dignitate ; exemplo efficacius docemur , quam verbo . Si ergo Episcoporum prædecessores , nempe Apostoli , & Prophetæ fortes fuerunt in bello , non molles in sericis , si vicerunt regna , operati sunt justitiam , adepti sunt repromissiones , si alieni à cupiditatibus , si in evangelizatione infatigabiles , si paupertatis amantissimi , si in charitate ferventes ; quid vetat , ne eorum successores faciant similiter , itaut luceant coram hominibus , qui videant opera eorum bona , & glorificant Patrem , qui est in cælis . Filii Apostolorum in omnibus actionibus suis , in omni opere suo , in omni conversatione sua æmulentur Apostolos , imitantur Sanctos ; exempla justorum sibi proponant ; Patrum exempla sint ipsis incitamentum ad Apostolicum opus ; Faciant , & doceant ; prius enim Apostolorum magister coepit facere , & postmodum docere . Sed quid dicendum de illis , qui nec facere satagunt , nec docere . Docet proculdubio , qui facit ; sed non facit , qui simpliciter docet , & istorum sermo inefficax est , quia exemplo quod efficacius est verbo , doctrina eorum non roboratur . Multos est invenire inter Ecclesiasticos Proceres , qui doceant , sed paucos qui faciant . Hi sunt , qui

in Synodalibus congressibus pastorali zelo , tumida proferunt diplomata , per quæ excitant ad contemptum divitiarum , ad amorem Dei , ad dilectionem proximi , ad opera charitatis , ad jejunia , ad eleemosynas , ad orationem . Ipsi interim quasi alligantes onera , quæ nec dligito tangere volunt , nihilominus apparent molles , nihil imminuentes de superfluitate ciborum , nihil de studio impinguandi Marsupii . Nihil , nihil de his , quæ vanitatem redolent subtrahere satagunt . Quomodo qui hujusmodi sunt , gloriari audeant se filios esse Apostolorum . Certè non sic se gerebant Apostoli ; si ergo Apostolorum filii volunt nuncupari , eorum exemplo provocati faciant similiter , vindicent sibi nobile genus similibus moribus , quod non aliundè nobile , quam morum ingenuitate fit , & fidei fortitudine . Qui de nobilitate gloriantur , prædecessorum suorum vitam laudandam suscipiunt , ut quod in propriis virtutibus deest , in Patrum gloria præcessisse videatur , quam æmulari proinde contendunt . Si ergo Episcopi de nobilitate gloriantur , tanquam Apostolorum filii , & successores ; faciant & ipsi similiter . Veræ fastigium nobilitatis in Christiana Republica , est imitari gloriam Sanctorum , & per hanc inter Dei famulos computari . Nemo apud Deum clarius , quam qui pro Deo humiliter est conversatus in Mundo , morum ingenuitate , & fidei fortitudine . Apud Christum de contemptu gloriæ , glorioius sublimamur ; insigniores planè , atque illustriores censemur , eò quod de paucis facti simus , nempè imitatores humilitatis Christi , qui revera pauci sunt , potius quam quod orti de magnis , vel ad magna fastigia sublimati .

### SECTIO QUADRAGESIMA TERTIA

*Hoc Chirographum paternæ tuae hereditatis , quod tibi evolvimus , ubi inspicias portionem substantię , qua te contingit &c.*

**L**Icet ubique, & in omnibus commendabilis sit humilitas, hanc tamen splendidiorem esse gemmam inter ornatus summi Pontificis perhibet S. Bernardus; sed numquid Deus est personarum acceptor, ut humilitatem magis à Nobili, quam à paupere professam, habeat acceptam? minimè quidem Deus est acceptor personarum. Nescio tamen quo pacto humilitatis virtus in nobili plus placet, & hoc fortè, quia plus claret: siquidem ignobilis cum caret gloriā, non facilè liquet, utrum quia nolit, an quia consequi non valeat. Nobilis vero cum gloriam respuit, & humilitati est addictus, jam omnibus constat, quia nolit, cum possit habere.

Necessaria proculdubio major humilitas, ubi major fuerit dignitas. Rara avis in terris humilitas in solio, in insulis, in dignitatibus. In alto positum, non altum sapere difficile est, & omnino inusitatum, sed quanto inusitatus, tanto gloriosius. Errat, qui quacumque fulgeat dignitate, in aliis vitæ meritis, seclusa humilitate confidit. Opus est humiliter de se sentire in altis constitutum, ne dum supra se attollitur, cadat à se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus. O mira vanitas, o mira fatuitas cordis nostri, cuius elationem perfectè reprimere, cuius cervicosos motus omnino domare, miseria nostra, nobis passim obvia non sufficit. Sola humilitate magna veritatem hanc ediscere possumus; est enim humilitas virtus, quæ homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit. Sed oh quām difficile est, ad fastigia assumptum sibi vilescere; ideo rara virtus est humilitas inter sceptræ, inter purpuræ, inter fastigia. Dignitates obtinere, & contemptibilem se reputare, penè miraculum, omnino mirabile meritò judicatur. Quapropter scripsit S. Bernardus, *nulla splendidior gemma, in omni ornatus summi Pontificis, potest humilitate inveniri.* Sola est humilitas, quæ exaltat, sola, quæ dicit ad vitam, hæc est via, & non est alia præter ipsam, qui aliter vadit cadit, potius quām ascendat. Dicit homo in humilitate justificationem, dicente,

Da-

David: *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas*. Justificat autem humilitas, non humiliatio; quanti enim humiliantur, & humiles non sunt. Humilis est, qui humiliationem convertit in humilitatem, & ipse est, qui dicit Deo, *bonum mihi, quia humiliasti me*, suam lætanter sustinens humiliationem. Hic est, de quo dicit Dominus: *Omnis qui se humiliat exaltabitur*; ex quo sequitur, non omnem esse exaltandam humilitatem, sed eam tantum, quæ de voluntate procedit; sicut nec è converso, omnis qui exaltatur humiliandus erit, sed tantum qui se exaltat, humiliabitur.

## C A P U T S E P T I M U M

### S Y N O P S I S .

Priorem reassumit questionem; *Quis sit summus Pontifex diligentius expendit*. Ubi quanta cum ingenuitate loquatur S. Bernardus cum summo Pontifice, non modice legentibus est admirationis. Monstruosam rem esse dicit, gradum tenere summum, & animum insimum. Unde Romanus Pontifex dicatur summus. Perfectum dici non posse illum afferit, qui semper majorem ad perfectionem non emititur.

### S E C T I O P R I M A

*Arguar forsitan, quod non satis primis explicitis partibus, in secundas, nescio quomodo, stylus excurrerit, describere inchoans &c.*

**I**N Principum Consiliarios assumpti, suis in colloquiis procul ab omni esse debent adulatione, & non tam, quæ laudabilia sunt commendare, quam quæ corrigabilia detegere. Non palpando, aut blandiendo agendum est cum Superioribus, sed sola veritas, cuius ut plurimum in Au-

lis

Iis summa est inopia , debet condire sermonem . Discat à D. Bernardo , quà sinceritate in Consiliarios , & monitores electi , se gerere debeant . Bernardus Eugenium alloquens , veritatem non erubescit . Exuat fastum , qui à Deo constitutus in folio , suas discernere desiderat imperfectiones , se seque ut hominem nudum , tanquam scilicet unum de subditorum numero scrutetur . Quot vitia puniuntur in subditis , quibus magis obnoxii sunt , qui præsunt , & in tantum non deteguntur , quia operiuntur à Sericis , & non est qui audeat de Superioribus loqui . Sed quod adhuc magis dolendum se objicit , hoc est ; quòd in homine ad honores sublimato , sapè virtia tanquam virtutes commendantur ; in homine modico , & paupere , ipsa etiam virtus sapè est maledictis obnoxia . Quò quis majori eminet dignitate , eò clariori tenetur fulgere virtutum splendore . Erubescat proindè quisquis in summo positus est apice , nudum , idest sine virtutum ornatu apparere : plus studeat indui virtutibus , quàm dignitatis obtentæ insignibus . Caveat , ne absque his eò deformior , quòd cum his illuſtrior appareat . Solidæ virtutes , vera sunt dignitatum ornamenta .

## S E C T I O S E C U N D A

*Numquid potest abscondi Civitatis supra montem posita desolatio , aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum . Simia in tecto , Rex fatuus in folio .*

**Q**UAMVIS adulatio , quà nil abundantius in Aulis , Principum virtia obtegere semper consueverit , certum nihilominus est , virtia omnia abscondere nunquam omnino potuisse : *Non enim abscondi potest civitatis supra montem posita desolatio , aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum .* Virtia Principis bono regimi- ni sunt magis infensa , vix enim detecta , statim germinant in subditis , qui vel adulazione stimulante , vel quia na- tura

tura humana facilius propendet in malum, libentius Principum vitia, quam virtutes æmulari gloriantur, & quodam obsequii genus esse credunt, exemplo Principis prævio, declinare quò Principem propensum animadverterint. Proinde optimè congruit Principi, virtutibus destituto, vi-  
tiis obnoxio, quod scriptum est: *Simia in teſto, Rex fa- tuus in ſolio*, idest: Imperans sine prævio virtutum exem-  
pto, eft ſuo muneri ineptus.

### S E C T I O T E R T I A

*Et nunc audi canticum meum, & quidem minus suave,  
ſed ſalutare. Monſtruosa res &c.*

**U**TINAM in Aulis ſæpè resonaret canticum, quò minus suave, eò magis ſalutare. Omnia ut plurimum adulatione fucata proponuntur in Aulis, ex quo fit, ut Principes, neque proprios detegere, & corrigere, nec alienos cognoscere, & emendare valeant defectus. Quòd ſi aliquando resonaret ad aures Principum *canticum*, quò minus suave, eò magis ſalutare facile animadverterent, quam monſtruosa res fit in Magnatibus gradus ſummus, & animus infimus. Monſtro æquiparantur, qui dignitati ſuæ non conſonos enutriunt mores. Quò quis majori eft in dignitate conſtitutus, eò magis eniti debet, ut morum ſuavitatem, & virtutum copiæ cæteros ſibi ſubditos antecellat. Hunc ſibi ſcopum præfigere, prudentia eft, ratio poſtulat, exigit æquitas; nullis indè averti moleſtiis fortitudo eft, nullis amoveri illecebris temperantia eft, nullà agitari ſuperbiâ iuſtitia eft. Ornamentum virtutis eft, cum felicitate luctari; magna felicitas eft à felicitate non vinci, ſicut magnæ conuisionis, majorisque dedecoris eft, inter felicitates, inter honores vitiis ſuccumbere. *Ideo monſtruosa res eft gradus ſummus, & animus infimus;* idest inter celitudines, abjectos enutrire ſenſus; in eminenti ſede vitam imam iſtituere; ubi gravem necesse eft vultum compone-  
re,

re , actus leves exhibere ; cum ingenti auctoritate , nuntiantem stabilitatem habere .

## S E C T I O Q U A R T A

*Admove speculum , fædus se in eo vultus agnoscat , tu tuum  
gaude dissimilem inveniri . Inspice &c.*

**H**ortatur Prælatos , ut ante conscientiæ suæ speculum sese componant , nempè animum , linguam , manus , vultum , actus , mores , & totam denique vitam . Propria conscientia unicuique fidelis monitor est , & amicus sincerus ; à conscientiæ stimulis procul est omnis adulatio . Homo se statuens ante hoc speculum , quisquis ille sit , quacumque in dignitate constitutus , statim se hominem considerans , simul , & semel cognoscet , quibuscumque peccatis , & vitiis se posse succumbere ; quapropter si bonum , quod de nobis dicitur , in nobis non invenimus , magnam indè debemus tristitiam concipere , si verò malum quod nobis imputatur , in nobis non inveniri constat , timere debemus , ne huic malo , progressu temporis , esse possimus obnoxii . Quisquis homo est , in omni bono quod de se ipso dictum audierit , semper timeat ne adulatio , plusquam veritas loquatur . Ideò tacitè recurrere debet ad mentem , sive ad conscientiæ suæ speculum , & hunc interiorem testimoniem , & Judicem audire , quem solum credere par est , coram Principibus , sine adulazione loquentem . Huic testi , huic monitori , huic Consiliario se credat , sciens nihil professe coram Deo , si omnes laudent , & conscientia accuset ; sicut è converso nihil obesse poterit , si omnes accusent , & conscientia defendat .

## S E C T I O Q U I N T A

*Rara vox est , nihil mibi conscius sum : cautior in bonis  
ambulas , si & mala non lateant .*

To. I.

M m

Si

**S**I septies in die cadit justus, utique *rara vox erit, nihil mihi conscientius sum*: Ut cautè ambulemus, semper in mala incidere posse timeamus: quis in mundo perfectus? nemo omnino mundus à sorde, licet infans unius diei. Omnia illi desunt, qui incautè deceptus, nihil sibi deesse arbitratur, itaut dicere audet. *Nihil mihi conscientius sum*: ut cautè quis ambulare valeat in bonis, semper timere debet, ne in malis offendat. Nemo est tām bonus, qui non possit adhuc in melius proficere. Quantumcumque quis enitatur ad perfectum, semper debet timere defectum. Conscientiæ bono fruitur, qui se imperfectum confitetur in corde suo. Imò non nisi malus esse potest, qui se bonum esse arbitratur. *Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat.*

### SECTIO SEXTA

*Quid si summus Pontifex sis? Numquid quia summus Pontifex, ideo summus? Infimum noris te esse; si te sumnum putas. Quis summus, cui addi non possit. Graviter erras: si te illum existimas. Absit &c.*

**N**on dignitates, sed virtutes perficiunt homines. Quapropter quisquis est in dignitate constitutus, stude-re debet, ut moribus compositis, & virtutum excellentiā honorificet dignitatem suam; dignitates exigunt quidem perfectionem, sed non perficiunt obtinentem. Summus ille dicendus, qui non à dignitate, sed à virtutibus con-decoratur, qui in summo constitutus se infimum putat. *Quantò major es, tantò humilia te ipsum*, dignitas sine vir-tute, est tanquam folium quod vento rapitur.

### SECTIO SEPTIMA

*Non tu de illis es, qui dignitates virtutes putant. Tibi ante experta virtus, quam dignitas fuit.*

Si

**S**I dignitates essent virtutes, ut plurimum virtus foret fortunæ ludus, cum sæpè dignitates obtineant, quibus fortuna arridet, plusquam meritum; nihilominus plures ex his, qui ad dignitates pervenient, hoc sunt errore decepti, ut dignitates virtutes esse credant; quapropter quidquid loquuntur ex dignitatis obtentæ fastigio, tanquam oraculum accipiendum esse arbitrantur à subditis. Unde hæc insania, nonnisi quia *multi dignitates virtutes putant*. Non sic res se haberent, si ut par esset, cunctis ad dignitatem promotis. *Prius esset experta virtus, quam dignitas.* Non dignitas virtutem, sed virtus dignitatem exornat.

## S E C T I O O C T A V A

*Augustis relinquito illam sententiam, aliisque, qui  
divinis colli honoribus non timuerunt.*

*V. G. Nabuchodonosor &c.*

**S**TULTITIA fuit quorundam Gentilium, qui Divinos affectantes honores, inter Deos ab adulazione subditorum computati, se in nullo posse deficere, omniumque perfectionum numeros in seipsis continere somniarunt. Tantum valuit in Potentatibus cæca ambitio, mendax adulatio. V. G. in Nabuchodonosore, Alexandro, Antiocho, & aliis hujusmodi perditionis, non perfectionis viris, qui comparatione meritorum, se summos inter homines esse gloriabantur, cum tamen plus cæteris hominibus, vitiis, & imperfectionibus essent obnoxii. Solus inter homines Romanus Pontifex *summus* nuncupatur, sed planè *summus* comparatione ministeriorum, non meritorum, planè *summus* sed inter Ministros Christi; quapropter in summa dignitatis apice, ita debet se gerere, ut *summus* inter Dei Ministros effulgeat, *summus* sed exercitio virtutum, *summus* in charitatis officiis, vel per se, vel per suos ministros exhibendis. *Summus* orationis fervore, & considerationis

rationis studio, quantum cum suo ministerio compatitur. *Summus* in pace, & concordia promovenda inter oves sibi commissas. *Summus* in omni opere suo, non quæ sua sunt, sed quæ solam Dei gloriam redolent quærens. *Summus* denique non consumatione, sed comparatione: consumatione enim impossibile est, quemquam posse summum reputari: quantumvis enim quisquam sit justus, justitiam adhuc esurire debet; quantumvis Sanctus adhuc magis sanctificari potest, juxta illud quod scriptum legimus: *Qui Sanctus est, sanctificetur adhuc*. Tunc enim summus nuncupari jure poterit Pontifex, si in præfatis sensibus summè abundabit.

### A S E C T I O N O N A

*Alias nisi te ad summum velim, non putare summum,  
aut velle putare ante quam sis; nam quomodo  
profici, si jam suffici tibi.*

**V**erè sapiens se modicum scire considerat, & majora esse, quorum cognitionem acquirere opus habeat, quamquam quæ didicerit: sibi itaque nunquam sufficit, ut semper magis proficiat; magis proinde investigat, quid sibi desit, quamquid acquisierit: sic se gerens ad summum nititur, nunquam tamen se summum putat.

### S E C T I O D E C I M A

*Non sit proinde tibi, aut pigrum investigare quod desit,  
aut fateri, quid desit verecundum.  
Loquere & Tu &c.*

**Q**ui in scientia Sanctorum proficit, à scientia mundi se facit alienum, hæc inflat, illa humiliat; per illum cognoscimus in multis nos adhuc deficere, per hanc gloriamur nobis sufficere, & ideo definimus proficere.

Ve-

Verum est, quod qui apponit scientiam Sanctorum, apponit etiam & dolorem; discernit enim quantum sit à perfectione longævus. Dolet utique, sibi persuadens facilius esse in hoc mundo deficere, quam proficere; sed dolorem hunc nemo sapiens subterfugit: est quippe medicamentum ad salutem, à quo stupor ille lethalis animi duri, & impenitentis excluditur, & ideo sapiens, qui dicere poterit: *Dolor meus in conspectu meo semper.* Nunc jam repetendæ reliquæ loci illius, è quo paulò ante divertimus.

## C A P U T O C T A V U M

## S Y N O P S I S .

*De Pontificiæ dignitatis excellentia differens in hoc capite S. Bernardus, indagat. Quis sit summus Pontifex, seu qualem gerat in Ecclesia personam. Romanum Pontificem legis veteris Patriarchis, Judicibus, Sacerdotibus æquiparat. Imo potestate Petro, unctione Christo parem facit. Qualis, & quanta sit prærogativa Pontificiæ potestatis meditatur. Docet qualiter Romanus Pontifex omnes Episcopos dignitate, & potestate antecellit, quem supra universam Ecclesiam, à Christo tanquam Vicarium suum constitutum esse demonstrat.*

## S E C T I O U N I C A

*Age indagemus adhuc quis sis, quam geras videlicet personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum. Tu haeres Apostolorum. Tu Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham &c.*

**Q**uæcumque in hoc capite discutit S. Bernardus, omnia ad hoc collimant, ut probet Romanum Pontificem, summa supra omnes Episcopos autoritate poti-

potiri in universâ Ecclesiâ, & potestate fulciri ; sed cum de primatu Summi Pontificis , de infallibilitate Papæ in materia fidei & morum , de præminentia Pontificis supra Episcopos , sive dispersos , sive congregatos , tam veteres , quam moderni Scriptores , abundè satis differuerint : hic vetat insufficientia mea refricare quæstiones , adeo eruditè aliis in operibus enodatas . . .

## C A P U T N O N U M

### M U V S Y N O P S I S . U Q A O

*Propriæ naturæ considerationem , veluti modestia , & omnis virtutis magistrum commendat. Quapropter hortatur Pontificem ad considerationem sui , ut non tantum quis , sed & quid sit cogitet , nempe homo ; Episcopi itaque , sepositis tantisper Pontificalibus insigniis , ad considerationem humanae miseriae excitantur , quia naturæ humanae origo , & vilitas bene perpensa , facile animi elationem potest comprimere , non tam in homine abjecto , quam dignitate quacunque insignito . Dignitas enim quæcumque sublimis , humanae miseriae vilitatem non excludit .*

### S E C T I O P R I M A

*En quis es , sed noli obliuisci etiam quid , nam & ego non sum oblitus id me promissæ repetiturum in opportunitate .*

**D**UAS sanè considerationes complectitur , meditari *quis* , & *quid sit homo* . Meditari enim *quid sit homo* appellat ad miseram conditionem humanae naturæ ; meditari vero *quis sit* , reflectit ad honorem adventitium , ad quem quis potest , inter has alternantes caducarum ferum vices , promoveri . Dixi alternantes vices , juxta communem loquendi modum , cum cæterum omnia secundum divinum bene-

beneplacitum contingere, citrā omne dubium fas sit profiteri. Cum enim sint iudicia Dei abyssus multa, tām Davidis ex virga pastorali ad sceptrum sublimitas, quām plurimum Regum ex aula ad caulas demissio, divinæ providentiae dispositiones sunt, cujus nutu omnia ordinantur. Quisquis ergo homo sit, sive dives, sive pauper, sive potens, sive abjectus, sive Rex, sive subditus, sive Clericus, sive Pontifex, oblivisci nullatenus debet *quid sit*; quām veritatem répetit S. Bernardus, postquam in superiori capite, de Pontificiæ dignitatis excellentiâ differuit.

## S E C T I O S E C U N D A

*Quām opportunè cum eo. Quis es, etiam quod ante eras consideras.*

**O**pportuna, & necessaria præsens consideratio habi-  
tanti in excelsis, ne momentaneæ dignitatis fulgo-  
re fascinatus, ab humilitatis sensibus, inter celsitudines ne-  
cessariò custodiendis, abscedat. Difficile est cum honori-  
bus humilitatem componere, quapropter opportunè cum  
eo. *Quis es, etiam quod ante eras, consideras;* ut plu-  
rimum ad ea solum quæ ante nos sunt respicimus, & quæ  
retro obliviscimur, aut etiam despicimus. Necesse est at-  
tentè perpendere, undè discessimus, ut melius perspectum  
habeamus, quò properamus, meditantes, ubi subsisti-  
mus. Omnes delectat celsitudo, paucos humilitas; ideo  
ferè quotquot ad dignitates sublimantur, considerant *quales*  
*sint, non quod ante erant.* Considerare quid ante eramus,  
priusquam ad fastigium erigeremur, unica est medicina,  
quæ omnia tumentia potest comprimere, tabescentia refi-  
cere, superflua ressecare, depravata corriger. Grande est  
in hominibus, super Cathedras constitutis, servare posse  
humilitatis mensuram: ad hanc servandam proficuum re-  
medium est considerare, *cum eo quis es, etiam, quid an-*  
*te eras.* *Quām justo rubore suffulti, plures in hac conside-*  
*ratione*

ratione sibi ipsis vilescerent, qui inter dignitates intumescent, si quid ante erant, considerarent. Debitum aliis honorem deferre discerent, si reminiscerentur, quod dum in privata degebant fortuna, vix poterant ad eos, quos nunc despiciunt, habere accessum. *Quid ante eras considera*, quisquis nunc inter honores, inter fastus à tui cognitione vivis alienus; reminiscere pristinæ parvitatis tuæ, reminiscere, quod in sudore vultus vescebaris pane, qui nunc adeò opiparè vivis, ut sati delicatum cibum invenire vix valeas. *Quid ante eras considera*, & inter superbas, quibus nunc luxuriaris vestes, invenies quanta cum parsimonia habituum cogereris incedere. *Quid ante eras considera*, & non nisi vasa figuli pro argenteis, quibus nunc uteris, à tuis parentibus tibi in hæreditatem relata fuisse fateberis. *Quid ante eras considera*; in abjecta domo te genitum ignorare non poteris, qui nunc vix satis commodum pro tuo domicilio palatium invenire posse, cruciaris. *Quid ante eras considera*, qui non nisi phaleratos nunc super æquos incedis, & parentibus tuis stratum superfluisse jumentum poteris reminisci. *Quid ante eras considera*. Quam opportunè cum eo, *quis es*, etiam; *quod ante eras considerandum occurrit*, cuicunque ad dignitates sublimato, cupienti sanum de se proferre judicium, & inter fastigia humilitatem custodire.

## SECTIO TERTIA

*Quid dico eras, & nunc es.*

**G**Rave jugum super omnes, & singulos filios Adam, nemine excepto, ut à die exitus de ventre Matris nostræ, usque ad diem sepulturæ, semper *omnes simus*, *quod eramus*, nempè ex massa putrida geniti, multis repleti miseriis; omnes de illis parentibus ortum traximus, qui nos ante fecerunt damnatos, quam natos; nihil ex illis in hæreditatem consequimur, nisi miseriam & peccatum,

tum , si ad parentum nostrorum sepulcra respicimus , non invenimus in eis , nisi cineres , & vermes ; propterea quod nos sumus ipsi fuerunt , quod ipsi sunt nos erimus , nemine excepto . Non enim est invenire , qui ab his angustiis se abscondere valeat .

## S E C T I O Q U A R T A

Quid definas intueri , quod non defisi esse .

**M**iseram conditionis nostræ naturam , nullatenus immutare valent momentanei honores , quicumque illi sint : Proindè nunquam debet homo , quacumque sit insignitus dignitate definere intueri , quod nunquam defisi est . Omnes in peccato conceptos æquat mors ; unus omnium in hunc mundum introitus , unus omnium ab hoc mundo exitus : squalores tumuli , putredo , vermis , & cinis , æquè in cadavera purpurà , & byssò involuta , ac inter laceros pannos sepulta seviunt . Quid itaque definat homo intueri , quod non defisi est .

## S E C T I O Q U I N T A

Una sane consideratio est , quid fueris , & quid sis , nam quis sis factus , altera .

**C**Um homo , quid erat , & nunc sit ; una sane consideratio est , quid fuerit , & quid sit ; nam si quid sit homo meditetur , iisdem imò majoribus calamitatibus nunc se succumbere , quibus à nativitate fuit obnoxius , inventiet ; non enim dignitatum insignia , quæ fortè obtainere valuit , fragilem naturæ humanæ conditionem immutare valuerunt . Momentanea hæc sunt , caduca , & fortuita , proindè quis sit homo factus , altera sane est consideratio , sed quia ut plurimum solum ad præsentia respicimus , extenorumque fugaci nitore facilius capimur , hinc sequitur ,

To. I.

N.n

ut

ut frequentius, *quis sit homo factus* inspiciat, *quid vero*, *& fuerit*, *& sit* non meditetur. Eccine vanitatum fo-  
menta, superbæ cogitationes, animi elatio, proximi de-  
spectus, undè suam trahunt originem. *Quisquis humil-  
tatis sensus, miseræ naturæ nostræ consentaneos custodire,*  
*etiam inter factus, & honores desiderat, non quis sit fa-  
ctus, sed quid sit* frequenter ad suam revocet considera-  
tionem,

## SECTIO SEXTA

*Non opportet, ut ista extundat illam in scrutinio tui,  
es enim, ut dixi, adhuc quod eras, & non minus  
hoc es, quam quod factus es post; forte,  
& magis.*

**C**UM ab honoribus ad quos homo sublimatur, alterna-  
te rerum fortunæ, etiam possit, eadem aversante deci-  
dere, si non per amissionem dignitatis, saltem per detri-  
mentum æstimationis; non opportet ut consideratio. *Quis  
sit homo factus*, extundat illam, nempè *quid fuerit*, *&  
quid sit*. Homo enim in his, quæ ad naturæ humanæ mi-  
seram conditionem pertinent *semper est*, *quod erat*, *&  
magis hoc est*, *quam quod factus est post*, *forte & magis*:  
quia quod factus est post, mutationibus est obnoxium.  
*Quod erat*, *& quod est*, quò ad naturæ humanæ mis-  
eras conditiones spectat, est immutabile. Omnibus honorib-  
us semper invidia suas tetendit insidias, idèo *non minus*,  
*imò forte, & magis homo est quod fuit*, *quam quod factus  
est post*, idest quocumque sit dignitatis fulgore homo cir-  
cumseptus; *hoc magis, est quod fuit*, nempè naturæ hu-  
manæ miseriis circumvalatus, à quibus nullo in honore  
potest se immunem reddere, *quam quod factus est*, cum  
sæpè contingat posse ab honore assumpta dignitatis deci-  
dere, si non per amissionem dignitatis, saltem per detri-  
mentum æstimationis.

SE-

## S E C T I O S E P T I M A

*Denique illud natus es, mutuatus hoc, non in hoc mutatus, non rejectum illud, sed istud adjectum. Tractemus utrumque simul, nam ut præfatum memini, collatæ ex invicem ambæ res utiliores fient.*

**I**N iniquitatibus sumus omnes concepti, peccato coinqinati nascimur omnes, filii iræ, filii vindictæ: adventitia sunt, & momentanea quæcumque, mutuatæ dignitatis fulgore, nostram operire videntur miseriam. *Illud nascimur, nempè miseri hoc mutamur, nempè transeuntem gloriam, ab obtentis dignitatibus procedentem, non in hanc mutamur;* hæc adjecta nempè gloria, quam dignitates præseferunt, illa verò non rejecta, nempè miseria in qua nascimur, nutrimur, & morimur. *Quod fuimus, & sumus, semper erimus, nempè filii iræ, filii vindictæ.* Quales verò facti sumus, hoc est momentaneum. *Tractemus utrumque simul, nam collatæ ex invicem ambæ res utiliores fient.*

## S E C T I O O C T A V A

*Dixi supra, consideranti quid sis naturam occurtere, quæ es homo, nam homo natus es.*

**Q**uisquis humanae naturæ conditionem sortitur *homo est,* & satis est, ut quibuscumque subiacere possit calamitatibus, & ferè innumeris, quæ vel in toto, vel in parte, à misera conditione nostra indivisibles esse prohibentur: allucinantur proinde quicumque, vel eò quod caducis abundant divitiis, vel in sublimioribus constituti fulgent dignitatibus, vel sub umbra potestatum hujus sæculi vivere gloriantur, securos ab adversæ fortunæ casibus fæciet jactare præsumunt. Longa docuit experientia, opulentissimos viros fuisse ad mendicitatem redactos; etiam coronata

capita , Deo sic disponente , factum est aliquando apparuisse opprobrium hominum , & abjectionem plebis . Homo natus es : satis efficax hinc habes argumentum vivendi semper in timore , & tremore ; ne humanis succumbere contingat calamitatibus . Sæpè altior fortuna deteriorum fuit calamitatum initium .

## SECTIO NONA

*Porrò percunctanti quis persona respondebitur nomen ,  
quod est Episcopus , quod quidem factus  
non natus es: Quid &c.*

**S**Alubre consilium ad moderandas in Potentatibus animi elationes , si considerent , non quod facti , sed quod natii sunt . Discerent ex hac consideratione non altum sapere , non altum velle , non inferiores despicere , sed humilitatem inter fastus servare . Discerent inferioribus , quos tamen virtus commendat deferre honorem , quorum meritum , quia fortuna non evexit , ideo solum in infimis subsistere coguntur , & ad altiores Cathedras non ascendunt , quas prævalente fortuna , non merito , plures occupant , non implent . Quam salubrius pro bono sublunarium rerum regimine res se haberent , si ordine aliquando inverso , qui obediunt præciperent , & qui præcipiunt obedirent . Sed Dei judicia , abyssus multa , spiritus ille Divinus , qui ludens est in orbe terrarum , cuius judicia opus est venerari , non scrutari , pro suo beneplacito diversimodè res disponit , & juxta humanum captum videtur aliquando aptasse sarculo viros , qui majori prudentia præfuisse populi . Quæcumque tamen sint Divinæ dispositiones , quæ imbecillitati nostræ venerabiles semper occurront ; nostri munieris est honorem deferre potestatibus , & Superioribus , quos nobis præposuit Altissimus . Interim , qui ab Altissimo præpositi sunt , à salubri D. Bernardi consilio nunquam deflectere monentur . Hoc ergo consulo , quicunque consideres

sides inter Magnates, vel Sacerdotii, vel Regni consideres  
maxime, quod maximè es, hominem videlicet, quod & na-  
tus es.

## S E C T I O D E C I M A

Nec modò quid natus, sed & qualis natus opportet atten-  
das, si non vis tuæ considerationis fructu,  
& utilitate fraudari.

**Q**ualeas nascimur, quibus circumvalati miseriis, eruditè  
exprimit S. Bernardus in tractatu de cognitione hu-  
manæ conditionis, non solum proinde, *quid nati*,  
*sed quales nati* attendere opus est, si nolumus nostræ con-  
siderationis fructu, & utilitate fraudari. Desinet utique  
superbire homo, si attendat, quod fuit sperma foetidum.  
Deinde hujus vitæ miseriis expositus, & peccato; postea  
cenis, & cibus vermium futurus in tumulo: quid super-  
bis ò homo, cuius conceptus culpa, nasci miseria, vive-  
re poena, mori angustiâ.

## S E C T I O D E C I M A P R I M A

*Tolle proinde hac perypsomata.*

**P**erypsomatum nomine, intelligit hoc loco S. Bernardus  
fugaces honores, ad quos non debet respicere, qui  
humanæ conditionis miseras, quas nemo valet effugere,  
pro solida interioris hominis cognitione, cupit discernere.  
Terrenarum dignitatum fumus, sàpè mentis oculos obfu-  
scat, ne humanæ fragilitatis miseras cognoscere valeat.  
*Tolle proinde hac perypsomata*, quisquis sincerè erudiri de-  
sideras ad salutem, & intelliges, quam grave jugum impo-  
situm sit super omnes Filios Adam, idque à die exitus de  
ventre Matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem  
omnium. In cordibus generamur, in tenebris confovemur,

in

in doloribus parturimus. Ante exitum miseras oneramus Matres, in exitu more vipereo laceramus, mirum quod non ipsi pariter laceramus. Primam vocem plorationis edimus, merito quidem, ut potè vallem lacrymarum ingressi; ita ut omnibus illud Job possit aptari: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Quam verum hoc sit, non nos verba docuere, sed verbera *Homo*, inquit, *natus de muliere* nihil abjectius, & ne fortè ex ipsa sibi voluptate corporeorum sensuum, quam de sensibilius haurit blandiatur: in ipso statim introitu, de exitu quoque terribiliter admonetur, cum dicitur, *brevi vivens tempore*, ac ne spatiolum illud, quod inter ingressum, & egressum relinquitur, sibi liberum pater, *repletur*, ait *multis miseriis*. Multis, & multiplicibus inquam miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis cum dormit, miseriis cum vigilat, miseriis quāquā versum se vertat. Nimurum ipse natus ex Virgine, imò factus ex muliere, sed benedicta in mulieribus, qui loquitur ad Matrem. *Mulier ecce filius tuus*, etiam brevi vivens tempore super terram, nihilominus multis repletus est miseriis; in illa brevitate appetitus insidiis, interrogatus contumeliis, pulsatus in juriis, vexatus suppliciis, conyitiis lassis. Ita tibi sume formam quisquis es, sive Rex, sive Pontifex, tam de nostræ concretione originis, quam de Sacramento Redemptionis, ut altius sedens, non alta sapiens sis, sed humilia de te sentiens, humilibusque consentiens; semper memor quod homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.

## C A P U T D E C I M U M

### S Y N O P S I S .

Exponit in præsenti Capite Eugenio Tertium considerationis membrum, nempè qualis fit summus Pontifex, cum in præcedenti. Quis esset propter prærogativam summæ po-

testa-

testatis expressisset. Porro si quis sit summus Sacerdos, Christi Vicarius, in se uno continens omnem prærogativam Ecclesiastica potestatis, solummodo velit attendere, facile poterit ambulare in magnis, & in mirabilibus super se, ita ut elationis periculum evadere vix valeat. Si vero sigillatum, qualis sit attendant, nempè Homo, cum ceteris hominibus, humanis quibuscumque subditus calamitatibus; potest etiam in hac consideratione, ultra quam expeditat nimis dejici, & pusillanimitati succumbere: proinde ut utrumque evadat periculum, dum Summus Pontifex, quis sit considerat, etiam qualis sit opus est, ut attendant, sicque in sua consideratione tenens medium, non perdet modum; ubique enim mediocritatis habenda est ratio; quam veritatem in hoc Capite explanare prosequitur S. Bernardus, tertium membrum considerationis proponens, exponens, & dilucidans.

## S E C T I O N P R I M A

Proinde si consideras quantus es, cogita etiam qualis,  
& maximè.

**Q**uisquis se solum *quantus sit*, & non *qualis* considerat, in animi elationem impingit, quam super omnia fugere necesse est, cupienti nec altum, nec vanum sapere: valde proficuum est homini scire se hominem esse, scilicet non modo scire *quantus*, sed *qualis sit*, & *maximè*. Ex qua dupli consideratione sequitur, quod se paratum exhibeat ad mandatorum obedientiam, & tollerantiam flagellarum; ac deinceps studeat (ex quo nec laborem potest effugere, nec dolorem) sic laborare, & dolere, ut labor, & dolor transeant in cibum salutarem Animæ suæ. Nemo quippe ex omnibus filiis Adæ: *Quantus ille sit* sine labore hic vivit, nemo sine dolore, si serio super se, *qualis sit* velit reflectere. Hominem fortè dabis, qui eò quod ceteris superemineat, considerans nempè

*quan-*

*quantus sit*, sibi videtur aliquos declinare dolores, & labores; sed si simul, & semel, *qualis sit* attentè cogitat, statim animadvertiset, se non modo labores, & dolores effugere, imò in graviores incidere. Qui solum *quantus sit* attendit, in labore inquit, hominum non sum, & cum hominibus non flagellabor, sed si *qualis sit* mature considerat, statim fatebitur, non ideo sine labore se esse, aut non flagellari. Tenet eos superbia, qui se solum *quanti sint* considerant, proinde gravius laborant; operti enim sunt iniquitate, & impietate sua; quæ planè graviora esse flagella, non est qui non valeat confiteri. Siquidem certum est in hoc sæculo, inveniri hominem haudquaquam posse, quicumque ille sit, qui gaudere possit sine dolore: extrema gaudii luctus occupat. Quod enim aliqui inveniantur, qui nec laboris anxietatem, nec flagelli sentire videantur læsionem; non modo non probat dari posse gaudium in hoc sæculo, cuius extrema luctus non occupet, sed ipsa insensibilitas, magis vehementiam indicat doloris. Sudat pauper in labore suo, & gemit, qui se solum *qualis sit* considerat, coactus in sudore vultus sui manducare panem doloris: sed numquid minus anxiè, imò forte & magis Dives qui se solum *quantus sit* ostentat, in ipsa sua ostentatione laborat. Interdum gravius Dives fastidio, quam pauper inediâ cruciatur. Velimus, nolimus, omnibus hic pati necesse est, sive pauperes, sive divites, sive Magnates, sive modici, omnibus hic pati necesse est, hanc veritatem statim fateri cogitur, quisquis non modo *quantus* sed *qualis sit* cogitat, & maximè.

### SECTIO SECUNDA

Hæc te sane consideratio tenet in te, nec à te avolare finit, nec ambulare in magnis, neque in mirabilibus super te (in te consitito) non infra dejici, non attolli supra, non evadere in longius, non extendi in latius.

Hoc

**H**oc potissimum esse debet cujusque hominis studium, ut quò amplius inter homines honoratur, eò magis Deo subditus inveniatur, & humilis vivat. Alioquin veh! Potentatibus, & Magnatibus sacerdotiis, nisi Deo omne suum subjecerint dominium. Veh eis, qui præminere, & præsidere gloriantur hominibus, nisi in eis præsideat Dominus. Necessaria siquidem major humilitas, ubi fuerit major authoritas; quam veritatem cum optimè compertam habuerit S. Bernardus, ideo Eugenium frequenter ad illam considerationem hortatur, *que hominem tenet intra se, à se avolare non finit, nec permittit ambulare in magnis, aut in mirabilibus super se;* quacumque fulgeat dignitate. Consideratio humanæ infirmitatis, à qua nemo immunis, singularis vis est in Magnatibus, ut se non attollant supra id, quod sunt, *ut non evadant in longius, ut non extendantur in latius,* ut intra se consistant; dummodo considerare velint, *quanti sint, quales, & maxime.* Quomodo enim extra se avolare valeat, & superbire, qui intra se attentè considerans, qualis sit, nonnisi internis & externis circundatum doloribus se discernit, & præoccupatum laqueis mortis. Non infrà dejicitur humilis, quia humilitas casum nescit, humilitas ruinam nunquam incurrit, humilitas nunquam lapsum passa est.

## S E C T I O T E R T I A

*Tene medium, si non vis perdere modum: locus medius tutus est, medium sedes modi, modus virtus; omnem extra medium habitationem, sapiens exilium reputat.*

**N**emo justus, nisi medium teneat. Nemo siquidem justus, nisi virtutibus addictus. Sed in medio virtus. *Teneat igitur medium, qui justificari desiderat, ne perdat modum, locus enim medius tutus est, medium sedes modi, & modus virtus.* Medium tenet, qui discit non infra dejici, non attolli suprà, non evadere in longius,

To. I.

O o

non

non extendi in latius. Quà ratione autem medium tenere valeat, & modum servare, qui sine modo de se alta sentiens, supra alios in sua cogitatione se erigit, in suis actibus superbum se manifestat. *Omnem extra medium habitationem, sapiens exilium reputat.*

### S E C T I O Q U A R T A

*Propterea non est illi habitare in longo, quòd ultra modum sit, sed nec in lato quidem, quòd extra sit; porro nec in alto, vel imo, quòd alterum supra, alterum infra sit.*

**S**apiens suis in operationibus tenet medium, servat modum; In omni re agendà temperamentum tenere opus est; Nec minus faciendum aliquid, nec nimis; nec ultrà quam oportet, nec infrà: etiam in bono immoderatè age-re, bonum ipsum in malum convertit; Quæ cum temperantiâ fiunt, semper salubria sunt. *Ideo omnem extra me-dium habitationem, sapiens exilium putat.*

### S E C T I O Q U I N T A

*Denique & longitudine exterminium habere solet  
& dilatatio scissuram &c.*

**D**ifferens in hoc capite S. Doctor de longitudine, altitudine, latitudine, & profunditate, declarat se ibi sermonem non instituere de præfatis in eo sensu, in quo loquitur Apostolus scribens *ad Ephesios* 3. siquidem in sensu Apostoli sermonem habet lib. 5. *De Consideratione* cap. 13. & 14; Ubi Dei longitudinem, latitudinem, & profunditatem, salva unitate considerat, ad quæ capita lector remittitur: ubi videre est, quam mellifluo calamo exprimat S. Doctor qualiter longitudo Dei est æternitas, latitudo charitas, Dei potentia sublimitas, Dei sapientia profunditas; modum autem, quo prædicta secundum Apostolum

com-

comprehendere possumus, ostendit *Capite ultimo libri de Consideratione*, ubi concludit, quod orando fortè melius, quam disputando, & dignius queritur, & facilius invenitur. Nunc igitur in sensu, quo de longitudine, latitudine, altitudine, & profunditate sermonem instituit Sanctus Bernardus in præsenti capite, pro modulo nostro captu consideratio nostra debet discutere, qui sensus ex sequentibus S. Bernardi verbis facile innoteſcit.

## S E C T I O S E X T A

*Nunc autem longum, dico, cum sibi homo longiorem promittit vitam.*

**Q**uoniam mors nos ubique expectat, tu quoque si sapiens fueris, ubique eam expectabis. Nec longiorrem tibi promittes vitam, qui omni momento potes subitanæ morti succumbere. Quotidie namque, ex momento quo nascimur, usque ad canos crescunt mala, subtrahuntur bona, & quot vitæ dinumeramus dies, tot computare debemus gressus ad mortem. Vitæ nostræ vicissitudines, omnibus hominibus sunt de se satis perspectæ; itaut ad earum considerationem statim appareat, quam longè decipiatur omnis vivens, qui sibi in hoc Mundo longiorem promittit vitam. Præteriri haudquam possunt dies vitæ, quos unicuique viventi author vitæ præscripsit. Si enim auxilium querat homo, & adjutorium intra se, ad longiorem vitam protrahendam, statim videbit quomodo aruit cor suum, & oblivioni datum se reperiet, tanquam mortuum à corde. Si intra se, corpus quod corruptitur aggravat animam. Si circa se, etiam terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem. Reliquum ergo est, ut supra se querat ab Authore vitæ auxilium, qui longiores, & bonos cupit videre dies. Sed Author vitæ unicuique constituit terminos, qui præteriri non poterunt. Nunquam prudens agricola seminandi opportunitatem reputat

longiorem ; qui futuræ messis desiderat abundantiam ; Prudens itaque non est , qui longiorem sibi promittens vitam , tardus est ad operandum pro æternæ vitæ consecutione . Qui ad veritatis lumen vitam hanc considerat , eandem mortem magis , quam vitam reputabit . Tantum abest , quod longiorem sibi vitam promittere valeat . Quisquis itaque es , qui vivis in hoc Mundo , in omnibus operibus tuis , memento te esse hominem , & timor ejus , qui auferit spiritum Principum , semper sit ante oculos tuos . Nonne quisquis nunc regnat in solio , in brevi plurium prædecessorum suorum mortem aspexit . Sic ergo loquere ad te ipsum ; ipsi prædecessores mei , meæ certissimæ , & cito tissime decessionis me admonent , & modicum tempus dominationis eorum , paucitatem dierum meorum nuntiat mihi . Quibus successi in solium , eos brevi sequar in tumulum ; hæc meditare , si procul ab illusionibus longiorem non vis tibi vitam promittere .

### S E C T I O S E P T I M A

*Latum cum in superfluas animus distenditur curas .*

**O**ccupationes multæ duritiam cordis inducunt . Quapropter summopere cavendum , ne in superfluas animus distendatur curas . Quòd si neque agenda est aliorum cura , cum sui ipsius incuria , illosque Præfules arguit Sanctus Bernardus , qui externalium rerum curis vivunt continuò occupati , etiam sub specioso titulo fovendæ charitatis : quà de re actum lib. prim. cap. 2. 3. 4. hujus operis ; quid credimus dicturum de pluribus Ecclesiasticis , quorum tota vita in superfluas distenditur curas . Nonne superfluæ sunt eorum Ecclesiasticorum curæ , qui ad cathedras sublimati , nihil minus cogitant , quam de Episcopali munere implendo . Ad hoc solum intenti , quomodo opem ferre valeant parentibus , parum cogitando de ope impendendâ pauperibus . In Episcopali Palatio ad moder-

nam

nam revocando structuram, nullis parcunt expensis; In labentis Cathedralis ædificio reparando, non nisi inviti subsidium ministrant. Nonne in superfluas distendi curas dicendum est eos, qui in suæ domus augenda suppellestili toti sunt addicti, & de suppellestili sacrâ, vetustate corrosa, renovanda vix cogitant. Sed utinam, solum in superfluas, & non incongruas, non indebitas curas distenderentur; incongruæ porro sunt, & indebitæ curæ eorum, qui vix tempus inveniunt, quo Divini officii recitationem adimpleant, dum interim vix dies sufficiunt, ac noctes ad illa munia peragenda; quæ cum caractere Sacerdotali incongrua sunt, & indebita,

## S E C T I O   O C T A V A

*Altum, cum de se plus præsumit.*

**I**N septimum incidit superbiæ gradum, *qui de se plus præsumit*. In præsumptionem qui labitur, semper cogitat quomodo alios præcellat, consequens est, ut *plus de se supra alios præsumat*. Primus in congressibus residere contendit, ubi si sua sibi cognita esset insufficientia, vix federet cum rubore novissimus. Primus in colloquiis respondet, qui ultimus deberet proferre sermonem; non vocatus accedit, non jussus se intromittit. Reordinat ordinata, reficit facta; quicquid ipse non fecerit, aut ordinarerit, non rectè factum, nec benè existimat ordinatum. Interim sublimiori dignitate vacante, si non promoveatur, promotores, aut invidos judicat, aut deceptos; ratus se non esse minoribus occupandum, qui ad majora se credit, sive potius adulatur idoneum. *Sic in altum extenditur*, qui de se plus præsumit. Gradus ad præsumptionem sunt dissimulatio propriæ infirmitatis, iniquitatis, inutilitatis. Secundus ad præsumptionem gradus est ignorantia sui, ubi enim in primo gradu inutilia sibi consuevit peripzomata foliorum, quid superest nisi ut vulnera tecta non videat,

*præser-*

præsertim cum ad hoc solum texerit, ne videret. Ex hoc tandem fit, ut etiam alio revelante, vulnera non esse contendat, conversus in verba malitiaæ ad excusandas excusationes in peccatis; atque is tertius gradus est, præsumptioni aditum referans.

### SECTIO NONA

*Profundum cum se plus dejicit.*

**S**icut congruum est Ecclesiasticos de se non plus præsumere, nec superbire, ita consonum est, *non plusquam pars sit se dejicere*; agnoscant proinde Ecclesiastici, unicuique in suo gradu dignitatem suam, nec se dejicient dissonis à dignitate moribus, incongruis à caractere Sacerdotali muneribus. Nonne perspicuum est, *plusquam pars sit se dejicere*; qui juxta prescriptum Canonum non viventes, seculi actibus dediti, nihil plus differunt, quam solo titulo à Sæcularibus, quos aliquando etiam pravitate morum excedunt. Etiam plusquam pars sit se dejiciunt Ecclesiastici, qui abjecti in Domo Dei vivere renunt, ut liberè habitare possint in tabernaculis peccatorum.

### SECTIO DECIMA

*Qui ergo longa sibi metitur tempora, nonne verè ingreditur iter exterminii, transiens vitæ terminos &c.*

**E**xprimere prosequitur S. Bernardus, quid in hoc capite intelligat per longum, latum, & profundum. Docens virum probum non evadere in longius; *ne ingrediatur iter exterminii*. Certè iter exterminii ingreditur, qui sibi longa metitur tempora, & longioris vitæ fiduciâ, ad sola caduca intentus, momentaneis inhiat, nec futuris, nec profuturis, & superveniente decessu, ad æternitatem rapitur,

pitur, de qua toto vitæ suæ tempore vix cogitaverat, eò quod iter exterminii per inanes cogitationes ingressus, dum mortem, nonnisi in ætate decrepita ad se accessuram allucinabatur, in viridi adhuc ætate ad suum pulsantem ostium aspergit. Hoc in improviso, & horribili constitutus momento, quid cogitare juvat, quod vixerit distentus ad hæc momentanea, nunquam collectus ad æterna; proinde quia vixit extensus, moritur extenuatus; quia in alta fuit præsumptione, in rumosâ absorptus est præcipitatione; quia pusillanimis apparuit, desperatus decessit: verè iter exterminii ingressus est.

## C A P U T U N D E C I M U M

### S Y N O P S I S .

*Seruum sui examen Pontifici serio commendat: undè metiri debeat profectus, scilicet ex collatione status prioris, cum præsenti, ex qua meditatione speciosus patet additus considerationis unicuique Ecclesiastico, qui semper tenetur æmulari meliora charismata. Docet qualiter zelus & clementia, deficiente discretione, virtutes non sunt, sed virtus. In zelo exerendo modus, locus, tempus observanda sunt. Pacato animo, non turbato zelus adhibendus.*

### S E C T I O P R I M A

*Tu ergo in hac consideratione tui, cautè ambules, & tote aequitate verseris; nec plus vero tibi tribuas, nec plus justo parcas.*

**C**um natura humana semper in omnibus quærat seip-  
sam, & unusquisque ut plurimum sibi sit adulator,  
Dificile est hominem, dum scrutatur seipsum, non plus  
vero sibi tribuere, nec plus justo sibi parcere, & in con-  
sideratione sui, tota aequitate versari. Cautè itaque am-  
bulan-

bulandum in scrutinio sui ipsius, cuicunque seipsum sincerè perspectum habere cupienti. Qua ratione autem posse homo in sui consideratione *plus vero sibi tribuere* exprimit S. Bernardus sequentibus verbis.

## S E C T I O   S E C U N D A

*Porro plus vero tribuis, non modo arrogando tibi,  
quod non habes bonum, sed & quod  
habes adscribendo.*

**Q**UAMplures deficiunt, eò quòd impellente plus fortuna, quàm meritò ad dignitates sublimati, obtentam postmodum dignitatem, suorum meritorum præmium esse arbitrantur, quasi in obtentæ collatione dignitatis, æqualis ponderis, & virium homines invenire non fuisset, qui collati ministerii pondus sustinere valuerint. Quicumque de seipsis sic sentiunt, *plus verò sibi tribuunt, arrogando sibi quod non habent bonum*; hujusmodi sunt, qui ad altiora evecti subsellia, statim voce tamida intonant, omnia verba sua, tanquam sententias, & oracula accipi ab auditoribus volunt; supra cæteros in omnibus facultatibus se credunt scientificos, quasi cum obtenta dignitate infusam acquisierint scientiam; cum tamen in minoribus constitutos, etiam noverimus de prudentia, & de scientia minus habentes: quomodo qui hujusmodi sunt arrogare sibi audeant, quod non habent; quà inquam ratione convictus, credere quis valeat hujus furfuris viros, statim ad dignitates Prælatitias assumptos, fieri posse forma gregis, si usque dum fuerunt in grege, adeò deformes vixerunt. Quisquis in consideratione sui, seipsum verè cognoscere satagit, caveat ne *plus vero sibi tribuat, non modo arrogando sibi, quod non habet bonum, sed, & quod habet sibi adscribendo*. Perspectum esse debet omnibus, quod de omni bono, quod in nobis est, solum Deum gratiosum authorem, & donatorem agnoscere debemus, cum

cum ex nobis , & à nobis nihil sumus . Malorum omnium sola nostra malitia est in causa , bonorum autem solus Deus est largitor .

## S E C T I O T E R T I A

*Vigilanter discerne qualis ex te , & qualis sis dono Dei ,  
& non sit in spiritu tuo dolus .*

**O**Mnia bona , quæ in nobis sunt , si quæ sunt , à Deo cognoscenda sunt , confitentes quod ex nobis , non nisi mali esse possumus ; quapropter , qui rectè sapiunt , omnia bona in bonorum omnium datorem refundunt , ut illuc revertantur , undè prodierunt . Profectò *in spiritu eorum est dolus* , qui negligentes reflectere , quales ex se , quales Dei dono sint , utrumque saepe confundunt , dum videntur vilitatem , & insufficientiam suam confiteri coram Domino , à quo omnis sufficientia est , & sine quo sufficientes non sumus , non modo operari , sed nec cogitare bonum ex nobis . Donum Dei est , si ad celsitudines sublimati , humiles custodimus sensus ; si injuriis impetiti , injuriis injurias non vindicamus , sed patienter ferimus ; si inter proclives occasiones non labimur ; si annuos provenitus , qui à congrua nostra sustentatione supersunt , in bonos expendimus usus ; si beneficia collaturi , ad carnem , aut sanguinem non respicimus , sed digniores præferimus ; si in alto constituti , altè non sapimus , vel sapere non affectamus . Veh enim nobis , si Deus per quem solum id sumus quod sumus , nos nobis relinqueret : vigilanter itaque discernendum *quales ex nobis , quales dono Dei sumus , ne sit in spiritu nostro dolus .*

## S E C T I O Q U A R T A

*Erit autem , nisi fideliter partiens tua tibi , & quæ sunt Dei Deo sine fraude resignes .*

To. I.

P P

Qui

**Q**ui in eo , quod habet sic gloriatur , quasi à Deo non acceperit , utique fideliter non partitur , quæ sunt sibi , & quæ sunt Dei Deo . In Dei honorem refundenda quæcumque bona habemus , scilicet salutem , divitias , sapientiam , dignitates ; quod si in his gloriamur , quasi bona nostra sint , utique fideliter non partimur , quæ nostra sunt nobis , quæ sunt Dei Deo . Nostra sunt quæcumque mala , quæ perpetramus , quorum sola nostra malitia est in causa . Dei sunt quæcumque bona , quibus fruimur , qui cum sit essentialiter bonus , bona cuncta imperitit , quæ proindè sine fraude Deo resignare debemus . Num rectè dixeris ab hac fraude immunem , qui Deo largiente in dignitate constitutus , deinde induit pro humilitate superbiam , & tumida incedens facie , despicit quoscumque in minori constitutos fortuna ; suosque consanguineos , si abjectos esse contingat , veretur ad se adventantes recipere , nisi in abscondito , tantum abest , quod studeat , sicuti par esset , eis subsidium exhibere . Noverit , qui sic se gerit , Dignitatem quam est consecutus , sibi à Deo suis collatam , ipsique fideliter resignandam , quod felicius exequi non potest , quām si dignitate , & divitiis , utatur in subsidium pauperum , eorum maximè , quos sanguinis necessitudine sibi conjunctos esse non ignorat . Eò minus rectè dixeris fideliter partiri , quæ sunt sua sibi , & quæ sunt Dei Deo sine fraude resignare illos , qui divitiarum affluentia cumulati , eas in malos usus expendunt , prodigi in superfluis , & vanis , tenaces in bonis ; ad sua solum commoda , & solatia intenti , de pauperum necessitatibus oblivious . Divitiarum solus Deus est Dominus , homo autem , quisquis ille sit , tantummodo dispensatur à Deo est constitutus : quod si dispensatorem fidelem se non exhibeat , utique à fraude non erit immunis , quia divitias , quæ Dei sunt , juxta divinum beneplacitum fideliter non resignavit . Divitiae siquidem , ut fideliter resignentur , detractis , quæ ad conveniens dispensatoris subsidium requiruntur , in pauperum levamen , & Ecclesiæ decorem sunt expen-

expendendæ . Neque video, quomodo ante Deum fidelis apparere possit partitio , quæ aliquando fit à dispensatoribus in vanitates , & insanias falsas .

Non negarim divitiarum dispensatores , illos maximè , quos Deus ad primarias dignitates evexit , ut suæ dignitatis decorum sustineant , teneri aliquando quibusdam succumbere voluptuosis expensis , sed in his est cavendum excessus , ita ut cum magnificentia , non confundatur profusio , si dispensatores fideles apparere voluerint coram Deo , cum reddituri erunt rationem dispensationis suæ . Sæpe videmus unum convivium adeo immoderatas absorbere expensas , quæ sufficerent ad subsidium catervæ pauperum , & proinde dum domestici ad saturitatem se ingurgitant , pauperes ad januam inediâ laborant . Utique fidelis dici nequit partitio , quæ sic bona disperdit . Accomoda certè non fuit hæc dispensatio pluribus Sanctis Regibus , qui quod hodie expendunt Principes in alendis pro venatione canibus , satius censuerunt pro pauperibus sublevandis impendere ; neque ideo , quia sine canibus vixerunt , arbitrati sunt Regia majestati , & decori præjudicium inferre .

Num rectè dixeris illum fideliter partiri , quæ sunt sibi , & quæ sunt Dei Deo fideliter resignare , qui cum diutinæ & prosperæ valetudinis bonum à Deo acceperit , post longum vitæ cursum , vix paucos numerare potest dies , quos in Dei honorem transfergerit . Heu ! nimium occurunt Ecclesiastici , qui vix tempus invenire valent , quo debitum Divini officii reddant pensum , à Missæ sacrificio frequenter se abstinentes , sub prætextu modicæ valetudinis , qui postmodum apparent incolumes , ut otiosis , incongruis , & à caractere Sacerdotali dissonis exercitiis peragendis , noctem vertant in diem , & diem in noctem . Hujus infidelis partitionis dolo , nonne culpabiles etiam sunt , quotquot , ut unius vigiliæ , aut jejunii satisfaciant præcepto , se imbecilles declamant , & ut noctes postmodum inter epulas ducant insomnes , sanitatem inveniunt : opportuno manè surgere , gravis non permittit indigestio , in oblectatio-

nibus verò regit complexio. Num rectè dixeris fideliter partiri, quæ sunt sua sibi, & quæ sunt Dei Deo. Qui spiritu intelligentiæ ditatus, postquam in scientiis proficit, quasi scientiarum Domino studia sua vovere non tenetur, solis postmodum applicat, vel prophanicis versibus componendis, vel satiricis compositionibus promulgandis, vel librorum inutilium paginis percurrendis. Quod si perspicacioris ingenii Ecclesiasticum est invenire, statim ad legalia studia fertur, non legem Domini, sed Justiniani profitetur, quia ex codicis professione, sperat implere marzupium, pervenire ad Cathedras, honores acquirere; cum tamen, ut fidelis esset partitio, scientificæ cognitio-  
nis ornamento uti deberent Ecclesiastici, ad orphanorum, viduarum, & pupillorum causas discutiendas, ad Ecclesiæ jura vindicanda, ad bonos mores per conciones sacras ex-  
colendos in vinea Domini, ad vitia extirpanda, ad sedan-  
da litigia. Perspicuum enim est salutem, divitias, digni-  
tates, sapientiam, & si quæ hujusmodi bona sunt, à Deo  
nobis impertiri, & proinde nos fideliter partiri debere,  
ut quæ sunt Dei Deo fideliter resignemus.

### SECTIO QUINTA

*Ex nobis mala, bona à Domino esse persuasum  
omnibus non ambigo.*

**N**onne bona omnia à te sunt o bone JESU, si sine te, neque sufficienes sumus invocare nomen sanctum tuum. Nonne mala omnia à nobis, quoniam malitia nostra malorum omnium fons est, & origo. Tolle humana malitiam, & nil nisi bonum erit in hoc mundo invenire. Vedit Deus cuncta quæ fecerat; & erant valde bona.

## S E C T I O S E X T A

*Sanè inter considerandum qualis sis, etiam qualis fueris  
ad memoriam revocandum.*

**M**ajorem utique suis in actionibus moderationem servarent homines, si inter considerandum *quales sint*, *etiam quales fuerint, ad memoriam revocarent*. Purpurā, gemmis, auro nitentes incedunt, ratione dignitatis assumptæ, plures sive Ecclesiæ, sive sacerduli proceres. Rectè hoc, quia consonum dignitati, quam sustinent; sed quantos est invenire, qui si tollant hæc perypzomata, revocando ad memoriam, *quales fuerint* in minoribus constituti, nonnisi hispidis vestibus oneratos, plusquam indutos, ad plures annos processisse comperimus; proinde horum unicuique consonant D. Bernardi verba: *inter considerandum qualis sis, etiam qualis fueris ad memoriam revocandum*. Palatia nunc sunt qui inhabitant, ad quorum magnificentiam ampliandam, sive in externo, sive in interno ornatu insudarunt artes. Sed si ad memoriam revocant *quales fuerint*, aut ipsi, aut patres eorum, invenient quām abjecti vixerint in domibus suis. Famulorum turba comitante, nunc sunt qui incedunt, sed si considerant, *quales fuerint*; nonne proavos suos famulatum præstítisse comperient. Nauseant, nunc plurimi super cibo vulgari, & nonnisi exquisitas patiuntur dapes, qui anteactis temporibus, vix forte quotidie, panem habere potuerunt usque ad saturitatem. In actibus suis moderationem servare cupientes, *inter considerandum quales sint, etiam quales fuerint, debent ad memoriam revocare*.

## S E C T I O S E P T I M A

*Consideranda posteriora prioribus, profeceris ne in virtute,  
in sapientia, in intellectu, in suavitate morum; an ab  
his forte (quod absit) defeceris &c.*

Vir-

**V**irtutes intus in animo locatae sunt, sed usus quarundam in exterioribus viget, quædam verò suam in interioribus exercent potentiam. Latus utique ibi aperitur considerationi nostræ additus, si serio examine discutiamus, quantum in virtutibus profecerimus, vel defecerimus; Exterior virtus carnales declinat illecebras, interior verò spiritualium deliciarum latebras amplexatur. Illa vel sollicitantes occasiones refugit, vel insolentes affectiones compescit, & quamvis interim necessario, molesto tamen exercitio laborat. Ista delectatur materia, quæ non jucunditate magis, quam honestate præcellat. Illa simplici intuitu, & oculo Columbino, exteriores dum percurrit species, vel odit, vel despicit; ista devoto prospectu, caelestia perlustrat, & prospectis amplius inardescit. Virtutes exteriores, se à carnalibus retrahunt, interiores spiritualibus intendunt; primæ se à Mundi illecebra, quam contemnunt, compescunt; istæ se ad id, quod spiritualiter concupiscunt, componunt. Sed cum virtutes nihil aliud sint, quam ordinatæ affectiones; affectiones verò nostræ adeò variæ sint, & multiplices, certum est latissimum reserari aditum considerationis, cuicunque suas omnes affectiones benè ordinare cupienti. Prima in hoc genere consideratio est attentè perpendere, an in sapientiâ profeceris. Sapiens autem dici nequaquam potest, qui sibi non sapit. Apud sapientem nihil vacat. Sermo, cogitatio, conversatio, & si quid aliud ejusmodi est, totum Dei ædificatione est. Verè sapiens utitur hoc Mondo, tanquam non utatur; inter utenda, & fruenda, intimo quodam mentis sapore discernit, ut transitoria transitorie, aeterna desiderio amplectatur aeterno. In hac staterâ appendunt sapientiam suam, qui discernere cupiunt, an in sapientia profecerint. Sed quâ ratione invenire valeat in sapientiâ profectum, qui secus ac sapientem deceat, transitoria aeterno, aeterna transitorio amplectitur desiderio. Sapiens ne dicendus erit Ecclesiasticus, qui totus in his terrenis immersus, ad sola externa intentus, ita vivere di-

dixeris in Mundo, quasi solum in hoc vivat, ut utatur Mundo; nihil quò ad Mundi curas, sacerdotalium cedens vexationibus, & ad æterna, perquam raro elevans mentem; totus ad momentanea oblectamenta intentus, & de æternis parcè admodum cogitabundus. Certum est, quod verè sapiens apprehendit disciplinam, ne quando irascatur Dominus, ut jam secundum multitudinem iræ suæ non querat. Indè est quòd sapientis cor ubi tristitia, cor verò stultorum ubi lætitia; sed tristitia illius convertetur in gaudium, & extrema gaudii stultorum luctus occupabit. Sapientia vera consistit in pœnitudine peccatorum, in contemptu terrenorum, in desiderio æternorum. Invenisti sapientiam, si tibi omnia sapiunt, pro ut sunt, & Beatus vir, qui in hac sapientia morabitur. Hæc attentè considera, quisquis sapientiam quæris, & super hæc affectum tuum, & profectum metire.

Appende etiam in tuæ considerationis staterà, quantum profeceris in intellectu. Intellectus siquidem bonus omnibus timentibus Deum; caret intellectu, qui sancto Dei timore non concutitur. *Intelligite, O sapientia,* ait Propheta; veri enim intellectus comes est indivisibilis sapientia, & vicissim veræ comes sapientiæ intellectus. Considera etiam, quantum profeceris in suavitate morum, an ab hac forte defeceris, & ex quo fuisti sublimatus, an elationi sis factus obnoxius; ut plurimum enim ex honoribus elatio animi pullulat. Inter dignitates suavitas morum sèpè deperditur. Considera proindè patientior utrum sis, an impatientior solito. Opportunè S. Bernardus Eugenium post examen circa sapientiam, excitat ad examen circa patientiam, cuius condimentum est ipsa sapientia. Cæterum cum patientia tueatur justitiam, necessarius in patientia profectus est ei, qui administrandum in Ecclesiâ à Domino eligitur. Necessaria etiam suavitas morum, humilitas, affabilitas, magnanimitas. Quoniam impatientia, iracundia, austeritas, pusillanimitas, justitiam enervant.

## SECTIO OCTAVA

*Opportet innotescat tibi zelus tuus, clementia tua, discretio quoque moderatrix earumdem virtutum.*

**L**ONGA comprobatum est experientia, importabilem esse zelum absque discretione, semper enim zelus à discretione sejunctus, minus efficax, minusque utilis inventur. Plerumque autem, & perniciosus valde sentitur. Quò igitur zelus fervidior, eò majori opus est discretionis, quæ spiritum temperet, ordinet charitatem; nam si suo quisque feratur zelo, absque discretione, jam indiscreta erit zeli administratio. Zelus nunquam debet esse remissus, intermissus tamen plerumque plus proficit. Sit vigor iustitiae semper fervidus, sed nunquam præceps. Sicut non omne quod libet licet, sic non omne quod licet, vel statim, vel semper expedit. Sit ergo Superior patiens, quia est cum malis, sit pacificus, quia præest malis. Habeat ejus charitas zelum, sed adhibeat pro tempore modum severitas. Capax esse debet superior, & zeli, & miserationis. Honor enim Prælatitiae majestatis judicium diligit; sed absit, ut ad præjudicium clementiae: si enim in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, erit profecto judicium absque misericordia ei, qui nimio zelo impellente, misericordiam non fecerit, clementiam non exercuerit. Omnis superior homo est, ideo semetipsum debet considerare, ut aliis discat compati, & arguere in spiritu lenitatis, ne & ipse tentetur. Non desunt superiores Zelotypi, qui sic intra se mussitant. Quid agimus, quod nonnulli durâ Cervice, & attrita sunt fronte, itaut quò magis eis compatimur, tanto magis nostrâ compassione, & patientiâ abundantur. Nonne sicut compatimur fratri, ita & iustitiae compatiendum est, quam videmus tam impudenter abiici, tam imprudenter provocari. Si quæ in nobis est Charitas, hæc tamen contemptum iustitiae ferre, neque debet, neque potest. Hic est iustitiae Zelus, quo adversus delinquentes plu-

plures fervent Zelotes, tanquam pietate ducti erga eam, quam contemni vident justitiam. Verumtamen semper opus est, ut potiorem correctionis, & punitionis partem, sibi vindicet compassionis affectus, alioquin in spiritu vehementi conterimus naves Tharsis; exeratur zelus, sed iustitiae conglutinatus, & charitati, cum affectu compassionis, & spiritu discretionis, miscens apte temporibus tempora; observans, quando oleum misericordiae, quando vinum fervoris exhibeat. Quam veritatem, cum optimè haberet perspectam Rex David, pro bono Regimine orabat. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Ergo Regiminis zelus comitem exigit bonitatem, disciplinam, & scientiam; defectu scientiae, sàpè accidit quorundam Superiorum zelum minus prudentem, proximi delinquentis publica peccata facere, quæ erant secreta, proinde majus esse damnum curationis, quam vulneris. Verus zelus, quantum scientificus, tantum prudens est, studet proinde proximi vulnera tergere, non detegere, & quantum fieri potest, fatagit servare proximi sui famam indemnem. Defectu bonitatis, zelus odium parit, & aversionem: potest Superior cum zelo nimis rigido displicere subditis, sed cum clementia nequaquam; neque enim hominibus sine lenitate, non plusquam Deo sine fide placere possibile est. Vera superiorum omnium norma Christus, zelum, clementiam, & discretionem suo in honore retinens, formam dedit his, qui in potestate sunt constituti, ad hoc ut discerent bonitatem, disciplinam, & scientiam; sàpè injuriis impetus patiens fuit: sed etiam flagello facto de funiculis, vindicavit injurias Patris, magisque elegit furorem Sacerdotum in necem suam provocare, quam templi profanationem dissimulare. Bonitas, disciplina, & scientia, verum Superiorem componunt.

## S E C T I O N O N A

*Qualis videlicet in donandis injuriis, qualis sis in ulciscendo.*

To.I.

Qq

Su-

**S**uperiori injuriis impetus, non tam debet insistere ad punitionem erroris, quam ad sibi conciliandum errantis affectum; ut videlicet misericordia judicio superexaltetur, & in Superioris modestia, Deus non minus glorificetur, quam in peccantium protervia inhonoratur. Sæpe quod per injurias nobis subripitur, miserationem magis, quam indignationem nostram maretur. Facilius adversarios nostros in spiritu mansuetudinis, quam ultionis lucramur; utinam hæc veritas, sicut continua fit comprobata exemplis, etiam usu ipso esset omnibus familiaris: magis utique inclinarent homines ad donandas, quam ad ulciscendas injurias. Sunt qui ad sibi illatam injuriam, licet sileant, manet tamen altâ mente repositum, sed hæc planè indulgentia non est. Longè aliter nos docuit, longè aliter facit Christus. Ignoscit plenariè, itaut ubi abundavit delictum, soleat & gratia superabundare. Ad hoc exemplum unusquisque se componat, consideratus, qualis sit in donandis injuriis, qualis in ulciscendis.

### SECTIO DECIMA

*Quam in utroque providus modi, temporis, & loci obser-  
vator; prorsus consideranda tria hæc in usu virtutum  
barum, ne non sint virtutes &c.*

**O**mnia tempus habent, in usu zeli, & clementiae observandum esse tempus, modum, & locum, admonet in præsenti S. Bernardus, quæ enim debito modo adhibita, tempori, & loco congrua, possunt esse proficia, extra tempus, modo, & loco neglecto, in damnum converti, longa probavit experientia. Veritas hæc clarius constabit exemplo. Voti sui compos facile fiet Superior, anxius lucrari Deo subditum peccatorem, si secreto eundem de suo peccato corripiat inter se, & ipsum solum; si in spiritu lenitatis loquatur; si loco ab arbitris remoto peccantis plagam revellet; secus erit, magisque irritare contingit,

tinget, & in peccato obdurabit, si imperiosis redargutio-nibus, si coram testibus, si modo indebito, clementia, discretione, & moderatione neglecta, solo zelo incongrue impellente, corrigeri aggrediatur. Item scimus, quod ad-hibitis honoris stimulis, si nobiles peccare contingat, & sint corrigendi, facilius emendantur, quam timore penè. Su-perior providus in zelo exercendo, modi, temporis, & loci est observator, hac deficiente providentia, & prævi-dentia, virtutes ipsæ in vitia declinant.

## SECTIO UNDECIMA.

*Porro caliginis duæ sunt causæ, ira, & molior affectus. Il-judicii censuram enervat, illa præcipitat. Quomodo enim ab altero non periclitetur, aut pietas clementiæ, aut zeli rebitudo? Turbatus præ ira oculus, nil clementer intuer-tur, suffusus fluxu quadam, & muliebri mollitie animus, rectum non videt.*

**N**eque cum moliori affectu sunt donandæ injuriæ, ne-que cum ira ulciscendæ. Siquidem tam ira, quam molior affectus excitant in mente caliginem: quapropter citrè iram, & molliorem affectum, delinquentes sunt, aut corrigendi, aut puniendi. Alia est affectio, quam caro gi-gnit, alia quam ratio regit, illa inducit caliginem, hæc serenitatem; Illa exterminanda ab animo corridentis, hæc inferenda; illa dulcis sed turpis, hæc suavis & fortis: in hac sedet charitas, quæ non querit quæ sua sunt, non verò in prima, quæ tantum quæ sua sunt novit querere. Rari admodum sunt, quorum sit purgatus affectus; hic in omnibus operibus suis, solam Dei gloriam querit, nun-quam seipsum. Superior moliori præoccupatus affectu, in dandis injuriis, vel ulciscendis, plus querit seipsum, quam Deum. Sed adhuc magis querit seipsum, qui cum ira, injurias, & delicta ulciscitur. Novi quod scriptum est. *Psal. 4. Ira scimini, & nolite peccare.* Una est ira, quæ

turbare quidem videtur oculum mentis, sed non caligat. Et hæc à rectitudinis zelo procedit: altera oculum irascens obnubilat, & hæc originatur à vitio. De prima, quæ à rectitudinis zelo difficit, ait Psalmista: *Irascimini, & nolite peccare*, quasi dicat, crudeles estote in vitium, mites in fratrem delinquentem, considerantes vosmetipsos, ne & vos tentemini. De altera, quæ procedit ex vitio, ait Apostolus: *Ephes. 4. 26. Sol non occidat super iracundiam vestram*, idest Christus, qui est sol justitiae mentem vestram, cum zelo rectitudinis irascentem, non deserat. Irà procedente ex zelo rectitudinis, debemus irasci prius nostris erratis, & deinde proximorum excessibus. In ultione peccati, temporis, modi, & loci habenda est ratio. Tam quisque convincitur minus sapiens, quantò est minus patiens.

### SECTIO DUODECIMA.

*Non eris innocens, si aut punias eum, cui forte parcendum esset, aut parcas ei, qui fuerat punicendus.*

**Q**Uæ super hæc verba exponenda occurrunt, jam Lib. I. Cap. x. Sect. vii. explanata exhibuimus.

### CAPUT DECIMUMSECUNDUM

#### SYNOPSIS.

*Docet modum, quo quisque se continere debet, tam inter prospera, quam inter adversa; Animum neque in prosperis nimis laxandum esse, neque in adversis nimis decipiendum. Quam difficile sit in prosperis servare innocentiam, probat exemplo Davidis, & Salomonis. Facilius esse in adversis recte sapere, & morigeratum vivere, quam in secundis.*

## S E C T I O P R I M A

*In tribulationibus quoque qualem te inveneris, nolo diffimiles: si constantem in tuis, condolentem in alienis, recti cordis hoc:*

**I**N prosperis, ut plurimum à Deo recedimus, in adversis ad Deum revertimur; Quoniam, ut ait Apostolus: *ad Rom. 5. 3. Tribulatio patientiam operatur.* In tribulationibus considerandum est, *si constantes in nostris, si dolentes in alienis sumus angustiis;* Tunc tribulatio nobis erit ad vitam, haec enim sola patientiam operatur, quæ probationem facit, ex quâ spes oritur, juxta prælaudatum Apostolum; quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, quæ sola abundant in his, qui se inveniunt *constantes in suis, condolentes in alienis angustiis,* & proinde recto sunt corde.

## S E C T I O S E C U N D A

*E' regione perversissimi, si cum propriis deprehendaris fortasse impatiens, minimè in alienis compatiens sentiaris.*

**T**ribulationibus impetus discit compati, qui verò secundis rebus lætanter vivit, tribulatorum angustias non considerat. Tritum est adagium, nescit sanus quid sentiat æger; aut saturatus, quid patiatur jejonus. Difficilè in alienis angustiis compatientes se probant, quibus omnia pro voto accident: sed haec via illorum scandalum ipsis; cum diutius fortuna ipsis arrisit, veh' si vel ad modicum deinde irrideat; tantum in suis impatientes, quantum in alienis minimè compatientes apparent: perversissimi utique est cordis, proximi angustiis non compati; at majorem adhuc perversitatem censuerim, ubi media suppetunt, opportunum non exhibere subsidium. Sed heu quantis, nostris

stris temporibus, hæc dominatur perversitas. Augentur de die in diem angustiæ, quia de die in diem extinguitur charitas.

## SECTIO TERTIA

*Quid in propriis, nihil ne est, quod animum fortè sollicitet?  
Est utique, si diligenter attendas, quār rarus semper extiterit, qui vel non modicè in prosperitate animum relaxaverit à sui custodia, & disciplina.*

**B**onum est magis ire ad domum luctus, quam ad domum convivii; licet enim multos frangat adversitas, tamen multò plures conterit prosperitas, sicut scriptum est. *Cadent à latere tuo mille, à sinistro scilicet latere per quod signatur adversitas; & decem millia* idest multò plures *à dextris tuis*, in quibus prosperitas designatur; utробique periculum, proindè orat sapiens. *Divitias, & paupertates ne dederis mihi*, ne fortè aut divitiæ extollant in superbiam, aut paupertas dejiciat in impatientiam. Nec in adversis opportet timidum esse, nec in prosperis dissolutum. Inter hujus temporis vicissitudines, tenere opus est quandam æternitatis imaginem, quam designat inviolabilis, & inconcussa constantis animi æqualitas, servata tam inter prospera, quam inter adversa. Magis autem periculis obnoxia est fælicitas, quam adversitas; in prosperis enim latent inimici communis insidiæ. Time ergo, dum omnia sunt prospera *ne relaxeris à tui custodia, & disciplina*. Quotquot laudabilis vitæ semitam calcarunt, fortes facti sunt in bello, non in pace; in adversis, non in prosperis. Plures corrupit prosperitas, quam adversitas. Veritatem hanc profiteri cogitur, quisquis diligenter considerat, quam rarus semper extiterit, qui vel non modicè in prosperitate animum relaxaverit à sui custodia, & disciplina. Consolationi divitum, comminatio Divina veh' intentat æternum; quia nimirum plerunque, qui in adversitate

sitate ad Deum accederent , in prosperitate à Deo rece-  
dunt ; proditque quasi ex adipे iniquitas eorum . Quapro-  
pter cum suppetit , sive salus corporis , sive perspicacitas  
mentis , sive copia dvitiarum , è moderatione hujusmodi  
prosperitatibus uti debemus , ut nobis non sint fomentum  
peccati , sed adjumentum virtutis ; ac potius de bonis bo-  
na faciamus , quam de malis in mala corruamus . Iustorum  
Animus renuit consolari illa consolatione , quà se diffun-  
dit voluptas , vel extollit vanitas ; magisque eligit affligi ,  
quàm temporalis peccati habere jucunditatem . Propterea  
sive consolamur , sive tribulamur , sit semper benedictus  
Deus , qui mutua vicissitudine prospera , ut plurimum  
temperat cum adversis , & adversa cum prosperis . Nonne  
vicissitudinem hanc in ipsa terræ fructuum productione ex-  
perimur . Vix ad duos annos consecutivos abundat anno-  
na . Profectò , si tristia semper accederent , quis sustine-  
ret ; si semper prospera , quis non contemneret ; sed pro-  
vidus Altissimus per necessarias vicissitudines , eo modera-  
mine cursum vitæ temporalis alternat , ut nec adversa  
frangant , nec lœta dissolvant ; cum potius & ista ex illis  
gratiora , & illa ex is tollerabiliora reddantur . Ne igitur  
in prosperis relaxetur animus à sui custodiâ , & disciplinâ ,  
folet Divina sapientia prospera adversis , adversa prosperis  
contemperare . S. Jo. Chrys. Homil. 8. in Matth. Mis-  
ericors Deus neque tribulationes , neque jucunditates sinit ha-  
bere continuas .

## S E C T I O Q U A R T A

*Quando hæc incautis non fuit ad disciplinam , quod ignis  
ad ceram , quod solis radius ad nivem , vel glaciem . Sa-  
piens David , Sapiens Salomon fuit ; sed blandientibus  
nimis secundis rebus , alter ex parte , alter ex toto disipuit.*

**Q**uis sapiens , & custodiet hæc , ut cautor incedat alio-  
rum exemplo ? Ceciderunt inter prospera David , &  
Salomon . Quis post eorum casum , affluente pro-  
speri-

speritate, cadere non metuat. Quis sapere audeat, ubi illi desipuerunt; ubi trepidaverunt probitatis columnæ, quomodo inconcussæ stare poterunt arundines, vento agitatæ.

### SECTIO QUINTA

*Magnus qui incidens in adversa, non excidit parum  
a sapientia, nec minor, cui præsens fælicitas  
si arrisit, non irrisit.*

**L**Atet anguis in herbâ. Solet præsens fælicitas, cui arridet, etiam irridere. Similiter adversitas, sæpè fortiorum animum potuit conterere. Proinde *magnus meritò nuncupandus, qui incidens in adversa, non excidit parum a sapientia: nec minor dicendus, cui præsens fælicitas, si arrisit, non irrisit*. Tu ergo quisquis sis, cui fortè arridet præsens fælicitas, si tibi etiam non vis irridere, cavene unquam fælicitati arridenti nimis fidens, securus vivas, sciens pro certo nihil tibi tam timendum, quam arridentem mundanam fælicitatem. Hæc enim ut plurimum æternum generat luctum; neque enim tot probis viris nos meliores sumus, qui arridente fælicitate præsenti, in deterriora sunt lapsi. Satius est in hoc sæculo tradi in afflictionem carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini; Propterea noli æmulari in eo, qui prosperatur in hac via, arridente fælicitate præsenti, quia ut plurimum hæc via scandalum ipsis, ut tantò magis sint postmodum subjecti irrisiōibus, quò magis eis arrisit præsens fælicitas. Magni profectò animi est incidere in adversa, & non excidere parum a sapientia. Tempore pacis unusquisque martialem animum jactare potest, sed senviente bello, animi fortitudinem custodire, hoc opus, hic labor. Plures videre est Ecclesiasticos, qui ad tribulatorum solamen, sapienter loquuntur, qui tamen, si vel levi a Deo tribulatione visitantur, statim excidunt a sapientia; & quæ aliis exhibuerunt, aut scripto, aut sermone remedia, urgente propria

pria necessitate , nesciunt convertere in opera , non modo parum excidentes , sed penè in toto deficientes à sapientia . *Magnus proinde dicendus , qui incidens in adversa , non excidit parum à sapientia .*

## S E C T I O S E X T A

*Quamquam facilius inveneris , qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna , quam qui propitiā non perdiderunt .*

**V**ixim tribulationibus probatum , etiam moribus compositum facile invenies ; è converso , quibus propria arridet fortuna , etiam ut plurimum fit amica libertas . Non dixit Rex David . Ad Dominum cum prosperarer , sed ad Dominum cum tribularer clamavi , facilius enim irridente , quam arridente fortuna , sapientia custoditur , & timor Domini . Cum autem vera , sapientia sit , nostris in tribulationibus querere à Deo solatium , ideo dixit David ad Dominum cum tribularer clamavi , & alibi oravit . *Disciplinam , & scientiam doce me .* Quibus Davidicis verbis eruditur , sapientiam à disciplinā , idest à tribulationibus non sejungi , quæ ut plurimum inter prospera enervatur , & languet .

## S E C T I O S E P T I M A

*Prefarendus ille , & magnus est , cui inter prospera saltem risus indecentior , sermo insolentior , immoderatior cura vestis , vel corporis non irrepit .*

**D**escribit hic S. Doctor incongrua , quæ sequuntur fortunā propitiā , magnum prædicat quemcumque non insolecentem , fortuna arridente . Difficile est cum prosperitate , moderationem componere .

# CAPUT DECIMUM TERTIUM

## SYNOPSIS.

*Ab otio, & nūgis Ecclesiasticos debortatur, sicut etiam à vanis sermonibus. Otiositas quanta sollicitudine sit fugienda demonstrat, quam Ecclesiastico viro indecuram esse nemo non ignorat. Sed præcipue inane sermons, & fabellæ ab ore Sacerdotum debent exulare: Equè damnable est detrahere, quam detrahentem audire.*

### SECTIO PRIMA

*Et si recte sapiens hortatur sapientiam scribi in otio, cavendum & in otio otium est.*

**C**avendum ne thesaurum temporis convertamus in occasionem torporis; ad viros Ecclesiasticos dirigitur S. Bernardi monitum, ut otium caveant in otio. Eosdemque hortatur, ut opportunitatem, quam obtinent quietis, in voluptatem transferant contemplationis; ut intrantes cubiculum cordis, ibi per considerationem memorari studeant justitiæ Domini; ut discant pugnare adversus titillantia vitia, & insidias diaboli prævenire, hoc est: *Sapientiam scribere in otio, & in otio otium cavere, non concedentes somnum supervacaneum oculis, nec palpebris dormitionem. Fugienda utique à quocumque viro Ecclesiastico, sive aliorum curis occupato, sive sub aliorum regimine degente otiositas, quæ mater est nugarum, novera virtutum.* Cum verò Præfules, propter continuam, quam erga oves sibi commissas, exercere debent sollicitudinem, otiali haudquaquam posse censeantur, pœnè superfluum videtur hortari *sapientiam scribere in otio, & in otio otium cavere.* Nihilominus opportunè S. Bernardus etiam Prælatos, quamvis externis addictos sollicitudinibus

monet, ut otiositatem fugiant. Quæcumque enim sint externæ curæ, adhuc tempus, quo otiali poterunt inventari, si se exhibere non studeant sollicitos temporis dispensatores. Si v. g. adventantes propter negotia, plusquam par sit, sermonem protrahere permittant, & occasione negotii pertractandi, ad inanes declinent confabulationes; si in recipiendis, aut restituendis, urbanitatis gratiâ, visitationibus, se se non expediant. Si mensæ accumbentes, majorem temporis partem confabulatio, quam reflectio sibi vindicet; si jam lucis orto sydere protrahant nocturnam quietem. Si in aptandis vestibus, cæterisque indigentiis absolvendis, non virili sollicitudine, sed muliebri potius lenitate, tempus terere non erubescant. Qui hujusmodi sunt, etiam otiositatem inter curas pastorales invenient; Quidquid enim homo agit, & propter hoc non agit, ut Deo serviat, in eo quod agit otiantur; nec ea die Ecclesiasticus se vixisse debet existimare, quam parum, aut nihil eorum egisse recolit, propter quæ Ecclesiasticae militiae nomen dedit. Difficile est otiositatem fugeare, si sedulò non studemus, sapientiam scribere in otio, & solicii non vigilamus, ne in otio otium triumphet. Est enim otiositas summa mentis malitia, virtutum non verca, Mater nugarum; Cave ne vivas otiosus, nam omnis otiosus in desideriis vivit, & sine opere moritur. Virtus citius decipiunt, quem otiosum inveniunt.

## S E C T I O S E C U N D A

*Inter sacerulares nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemiae.*

**N**ugas, & otiosas fabulas facessere jubet ab ore Sacerdotis S. Bernardus, seriis tantum, & utilibus id patere vult, ut potè Evangelio consecratum, nec vano sermone (quamvis alii urbano nomine colorent) prophætandum. Simile prorsus priscæ, & rigidæ virtutis exemplum

plum reliquit B. Petrus Damianus, qui tedium vitæ publicæ, & desiderium quietis, ac solitudinis hinc accepisse, vel certè acuisse videtur, eò quòd cum moribus, facetiis, jocis, & nugis sacerdotalium minus conveniret. Audiamus ipsum in Epistola, quā se apud Pontificem, & Cardinales, ob demissum Episcopatum Hostiensem excusat.

Fuit, fuit olim, inquit, sed jam elapsum est tempus, cum modestiæ pudor, mortificationis insigne, digna severitas, & sacerdotalis genii valeret censura servari. Nam ut me solum dignè coarguam, videtis ipſi, quia protinus, ut ad vos venio; Ecce sales, ecce facetiæ, ecce lepores, urbanitates, dicacitates, volumina quæſtionum, omnesque verborum inanum pestes insolenter erumpunt, quæ nos, non jam Sacerdotes, sed potius Oratores, ac Rethores, ſive quod inhonestum eſt, ſcurros ostendunt. Mox enim, ut verba conſerimus, paulatim quædam lenocinia confabulationis alterna surrepunt, quæ omnem animi rigorem indecenter emolliant, & severitatis robur in excuſum riſum, & turpia joca diſſolvant. Hinc eſt, quod mens extra ſe ſparsa confunditur, acies cordis obtunditur, lux Divini Amoris extinguitur, reverentia Sacerdotalis amittitur, & quod periculofius eſt, recte vivendi linea, quæ aliis ad exemplum proponenda fuerat, non tenetur. Quod ſi nos, vel pudore, vel metu in hæc declinare contemnimus, mox inhumani, rigidí, & quos hyrcanæ genuerint tigres, ſaxeſ judicamur. Reprimo calamum, nam ut turpiores attexantur ineptiæ, pudore ſuffundor: Ubi vides quām bellè Bernardo conſentiat, & quales in Sacerdotibus nugas detestetur: Quas hodiè multi Ecclesiasticorum, adeo non cenſent cum Bernardo blaphemias, ut ne quidem veniales culpas exiſtiment.

Quam Bernardus ſuggerit Eugenio, cavendam omnis vaniloquii culpam, eam alius olim Sanctissimus Pontifex Gregorius, proposito ſui exemplo, velut ipſe reus gravior, & patetice reprehendit. Nam dum expendens verba Ezechieliſ (filii hominis, ſpeculatorē dedi te domui

*Israel)* onus vocationis suæ ponderat, in hæc verba pro-rumpit, quæ meritò etiam corda nostra percellant; Pauca nos feligimus, Tu integra suo loco percurre.

O quam dura mihi sunt ista, quæ loquor! Quia memetipsum loquendo ferio . . . qui otiosis verbis sæpe implicor, & ab exhortatione, atque ædificatione proximorum torpens, & negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum mutus, & verbosus: Mutus in necessariis, verbosus in otiosis, &c. . . . & quidem in Monasterio positus, valebam & ab otiosis linguam restringere, & intentione orationis pœnè continuè mentem tenere. At postquam humerum sarcinæ Pastorali supposui, colligere se ad semetipsum assidue non potest animus, quia ad multa partitur . . . quia autem necessitate loci, sæpe viris sacerdotalibus jungor, nonnunquam mihi linguae disciplinam relaxo. Nam si in assiduo censuræ meæ rigore me teneo, scio, quia ab infirmioribus fugior, eosque ad hoc quod appeto, nunquam traho. Unde fit ut eorum sæpè, & otiosa patienter audiam; sed ipse quoque infirmus sum, in otiosis sermonibus paulisper tractus, libenter ea loqui incipio, quæ audire cæperam invitus, & ubi tædebat cadere, libet jacere &c. Sanctus Ambrosius, ubi de officiis agit, jocandi disciplinam, à sacerdotalibus viris tradi solitam, sibi prætereundam arbitratur. Nam licet interdum, inquit, honesta joca, ac suavia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula.

### S E C T I O T E R T I A

*Interdum tamen, si incident ferenda fortassis, referenda numquam.*

**N**on modo nugas proferre, sed referre vetat S. Bernardus, Ecclesiasticæ gravitatis zelator eximius, ut discant, quæm cauti in sermone debeant se exhibere viri Ecclesiastici. Quædam fabulæ, adeo sunt ab Ecclesiastico alie-

alienæ, ut neque ferendæ sint; quod si malæ temporum contingentia, aliquando cogerent Ecclesiasticum, ineptias ferre, & audire, caveat saltem, ne iterum referat. Sed quorundam Aulicorum, potius dicerem, quām Ecclesiasticorum mos invaluit, ut quæ per diem in Urbe occurrunt, sub vespere ad Episcopalem aulam deferant; nihil inde cogitantes, an quæ referunt, consona sint domui Episcopali, digna sint audiētia Episcopi, cuius gratiam norunt sibi facilius posse conciliare hujusmodi nugarum relationibus, quām institutis sermonibus de observantia Canonum, de benē regenda Diocesi, de eliminandis vitiis, de promovendis virtutibus; sed undē hæc mala, nonnisi quia Relatores nugarum, norunt suos Prælatos, facilius nugaces sermones, quām serios excipere; & etiam paratos, si occasio se exhibeat, non modo ferre, sed etiam referre. *Inter Sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemiae.*

#### S E C T I O Q U A R T A

*Magis interveniendum cautè, & prudenter nugacitati, prorumpendum sanè in serium. Quid quodd non modo utiliter, sed libenter audiant, & supersedeant otiosis.*

**C**Autè, & prudenter intervenit nugacitati, qui sua fretus autoritate, vultu composito, nugacibus timorem incutit, ne in nughis excedant: ad continendos nugaces optimum sanè consilium, si aliquando interveniant ipsi Superiores cautè, & prudenter nugacitati, ad quorum præsentiam nesciat nugacitas habere excessum, sed intra debitos modestiæ limites fese contineat. Facile nugaces sermones, præsente Superiore evanescunt, & ad seria, quæ utilius audiant, otiosi convertuntur.

## S E C T I O Q U I N T A

*Consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum, affuescere sacrilegum est; labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore ejus, non nugas profecto, vel fabulas.*

**S**Acros Oratores, qui consecratum suum os habent Evangelio, hic cautos esse par est, ne ad nugas, & ludicra, tum privatim, tum publicè defluant. Veh' concionatoribus, qui è suggestu jocos, seu facetias, & lepidas fabellas proferunt. Satis patet, quām sit Christianæ pietati, & eò magis Ecclesiasticorum gravitati conveniens, à ridiculis abstinere; undē non modicæ admirationis est argumentum reflectere, quantum plerique Christiani Oratores, ab eā gravitate distent, quam adeo inculcat S. Bernardus, proinde omnibus Ecclesiasticis viris, sed præcipuè concionatoribus, fugere expedit modum agendi, qui magis comicos, quam Religiosos viros decet, magis proprium illorum, qui spiritu hujus mundi, quam spiritu Dei vivunt, magisque sapit mores quosdam sacerulares, quam simplicitatem Evangelicam; ex hoc genere est levis, & juvenilis in familiari usū libertas, sub prætextu hilaris conversationis, lepidas historias intermiscendi, ut hoc modo audientes familiarius detineantur. Ad Ecclesiasticos itaque, quicumque illi sint, qui libertatem mundanam suis affectant in colloquiis, S. Bernardi sermo dirigitur. *Consecrasti os tuum, Evangelio, talibus jam aperire illicitum, affuescere sacrilegum est; labia Sacerdotis custodiant scientiam, non nugas profecto, vel fabulas.*

Evangelizantes seria decere, non nugas, non fabulas docere, perspicuum est, si vineæ Domini veros se exhibere operarios intendunt. Proinde in spiritu lenitatis, & animo contrito satagant implere ministerium suum, qui ad evangelizandum Sion vocantur à Domino, & sciant puritatem mentis exigere veritatem Evangelicæ prædicationis.

Scri-

Scriptum est, *vox tua dulcis*, & illico subjungitur: *Facies tua decora*, per quam designatur puritas morum, quam qui non habent, si evangelizare contendunt, utique loquuntur, quod ignorant: hujusmodi sunt, qui in suis concionibus, non Dei gloriam, sed humanas laudes quaerunt: qui compunctionis sensus docent, à quibus dissonant opera: qui sine sumptu exhibere nesciunt Evangelium, evangelizantes præcisè, ut quæstum faciant, fructum non quaerentes animarum, sed suum. Præproperè agit, qui non nisi lucro, aut honore impellente, ad Evangelium promulgandum circuit civitates, opus enim lucis ante lucem præsumit. Vanum est vobis ante lucem surgere, monuit David; lux autem est puritas morum, lux est charitas, quæ non quaerit quæ sua sunt. Timeo plures concionatores, in extrema discussione fore ab Altissimo exprobrandos Davidicis verbis: *Quare enarrasti iustitias meas, & assumpsisti testamentum meum per os tuum*, in quorum numero profectò futuri sunt, quotquot alios docentes, seipso prius non docent.

Longa probatum est experientia, semper plus proecisse Prædicatores Evangelicos, suorum compositione morum, quām pellegrina verborum ostentatione: plures scimus suis placuisse auditoribus exemplo, quām doctrinis. Enim vero quantos enumerat Apostolus, factos Deo dilectos, & hominibus, non in scientia litterarum, sed in scientia pura, & fide non ficta; non in scientiæ, sed in vita meritis Deo placuerunt Apostoli, non de schola Rhetorum, sed de simplicitate pescatorum assumpiti à Christo, per quos operatus est salutem, mittens eos per orbem terrarum evangelizare verbum Dei. Apostolos itaque in simplicitate cordis, & morum imitari opus est, quemcumque Apostolicum munus exercere cupientem, si & cum Apostolis operari desiderat salutem in medio populi, quem erudiendum assumit. Notas mundo fecerunt Apostoli vias vitae, non in sublimitate eloquentiæ, aut in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed sicut placuit Deo, per simplicitatem

citatem sermonis discipulorum suorum, salvos fecit credentes, quia mundus Christum non in sua sapientia, sed in sua simplicitate cognovit. Pro qualitate auditorum, docendi ratio exhiberi debet accomoda. Auditorum captui debet se attemperare Doctor Evangelicus. Utinam veritatem hanc perciperent, qui suggestus sacros descendunt, ut studeant magis alta, quam apta dicere; facturi apud auditores miraculum sui, non ipsorum salutem operaturi; erubescentes humilia dicere, ne sola haec scire videantur: profecto Prædicatores Evangelici missi sunt, non ut scientiam jaçtent, sed ut Auditores verbo Dei lactent. Quid ad præsens negotium facit peregrina adducere, quæ excedant auditorum captum. Magna eloquentia laus est, causam quam suscepis aptè exequi, & suscepto inservire negotio. Non tam attendere debet concionator, quæ ipsum dicere deceat, tanquam hominem litteratum, quam quæ audire expediat, quos suscipit instruendos; quid enim proficiunt auditores, si concionator ambulat in magnis, & in mirabilibus super se, & super eos, qui assident. Ascendit concionator Cathedram, ut alios ædificet, non ut se inflet. Vox Turturis audita est. Verè Turturem exhibes, si tuo sermone gemere doceas; si movere desideras, gemendo magis, quam declamando obtinebis. Dabis insuper voci tuæ vocem virtutis, si quod suadere intendis, tibi prius persuasisse cognoveris. Validior vox operis quam oris; fac sicut loqueris, & facilius correctionem morum obtinebis; neque vereri poteris, quod de te dicatur, sicut scriptum est: *Tu qui alios doces, te ipsum non doces;* aut sicut alibi legitur: *Alligant onera gravia, & importabilia, quæ digito suo nolunt movere.* Inefficax doctrina, cui non respondet vita, sed proh dolor! Sicut populus, sic, & Sacerdos: facile quis persuadet, quod intendit, dum factibile probat, quod suadet.

## SECTIO SEXTA

*Verbum futile, quod faceti, urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul, & ab aure relegandum; fæde ad chachinnos moveris, fædus moves.*

**S**acerdotis eloquium argenteum esse debet, igne examinatum, purgatum septuplum. Profectò non argenteum, sed plumbeum esse constat eloquium, quod ad cachinnos movet; quod nullatenus pietatem redolet; quod totum est de imis, fortassè & de inquis; nam iniquitas sedet in talento plumbi. Iniquum est Sacerdotes de talibus talentis negotiari, & in thesauris suis plumbea talenta inveniri. Quis tanquam illicitum non reprehendit, imò & sacrilegum, si os Sacerdotis, Dei laudibus concinendis consecratum, ad futilia, & scurilitates evomendas aperiatur. Intendant viri Ecclesiastici Paulo dicenti: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed qui bonus est ad ædificationem fidei.* Porrò nugaces quidam sermones, fidem non ædificant, sed evertunt, sanctam subruunt conversationem, instrumentum sunt contentionum, seminarium litium, quia nonnisi amaritudinem sonant. Ecclesiastico-rum os virgineum esse debet, nec proindè verba virulenta in ore Ecclesiastico decent. Quà fronte, pravis pollutum verbis, os suum quotidie Sacerdos porrigere audeat in osculum Domini, qui est candor lucis æternæ, & nil inquinatum attingit. Meminerint Sacerdotes os suum, cælestibus osculis, & oraculis esse consecratum. Sacrilegium putent, si quid non sanctum, non divinum, non de sacris paginis sonet ex ore ipsorum: *Buccinate, inquit David ad Ecclesiasticos, in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae.* Omnis autem dies, Ecclesiasticis semper esse debet solemnis, semper neomenia, semper sabbatum, ideo os Clericorum quasi tuba sit ductilis, tuba argentea, tuba quæ non lites, sed lætitiam sonet, sed solemnitatem, sed cantica spiritualia moduletur. Terrore concutior, dum in Evan-

in Evangelio veritatem ipsam, quæ falli non potest, minitantem intelligo, de ratione reddenda in die judicii, de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines. Quanto magis rationem exiget ab Ecclesiasticis de verbo futili, fæde ad cachinnos movente: si ad hanc comminationem attentè animadverterent viri Ecclesiastici, frequentius etiam orarent: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumflantiae labiis meis, ut non solum à verbis fæde ad cachinnos moventibus declinare valeam, verum etiam ut otiosa verba devitem, ne de illis me judicari contingat in die judicii, ubi etiam de otiosis verbis, adeò disticta ratio est ab omnibus reddenda.*

Si quid sit verbum otiosum, quis scire desiderat; audiat S. Gregorium: *Otiosum est verbum, quod ratione justæ necessitatis, vel intentione pia utilitatis caret.* Quidquid ergo loqueris sine necessitate, & sine intentione alieni profectus, otiosum est. Profecto si otiosum est verbum, quod sine causa rationabili profertur, quam rationem de eo reddere continget, quod est præter rationem, *quod fæde ad cachinnos movet.* Vanus sermo demonstrat loquentis dementiam, & offendit conscientiam. Qualis est sermo, talis est animus. Vanus sermo, citò polluit mentem. Facile enim agitur, quod libenter profertur. Loquatur itaque vir Ecclesiasticus, quæ suo digna sunt caractere, & consona muneri: futilia verba, quæ urbanæ solent nuncupari facetiae, non decent Ecclesiasticum virum, qui etiam effugere debet verborum cultum. Nam affectata verborum lascivia, & cultus, inanis gloria videtur redolere affectum. Qui verò cum lepore eloquii, lubricas infectatur fabellas, promit levitatem, & lubricitatem animi sui. Nam si fætor erumpit, in vase à quo erumpit, non nisi fatidam argumentaris contineri materiam. Qui castigatae sunt vitæ, sunt etiam castigati in verbis; Paucitati, & modestiæ verborum tanto magis student, quò magis virtutum culturæ incumbunt. Custodi linguam, si vis custodire æquitatem.

## SECTIO SEPTIMA

*Porrò detrahere, aut detrahentem audire, quid horum  
damnabilius sit, non facile dixerim.*

**D**etrahentium pervicaciam acuto calamo perstringit Sanctus Bernardus serm. 24. in Cantica: non minus damnabile est detrahere, quam detrahentem audire. Altissimus per os David, contra detrahentes suam comminatur indignationem, dicens: *Detrahentem proximo suo, hunc persequebar:* conciliant detrahentes ad invicem inimicissimas amicitias, & consentaneæ malignitatis affectu, odiosas celebrant inter se collationes, in hoc solum concordes, ut ferant discordias. Qui detrahunt, seipsoſ charitate vacuos manifestant, unde simul, & semel ſibi, & aliis infenſi, unico iectu ſeipſoſ, & alioſ perimunt; quod eō ſenſibilius præſtant, quō ſe magiſ ſenſibileſ & compaſſivi ad vitia proximi, quæ pateſciunt, maniſtare conantur. Simulat̄ enim verecundiæ fuco, conceptam malitiā, quam cohibere non poſſunt, occultare contendunt, præmittenteſ ad detractionem alta ſuſpiria, & quadam cum gravitate, & tarditate, vultu næſto, demiffis ſuperciliis, voce ferè plangenti, maledictionem proferunt, tanto persuasiſibiliorem, quanto creditur ab auditoribus corde invito, & condolenti affectu, non malitioſe proferri. Detractoreſ merito raptoreſ dixeris, & fureſ. Quid enim? rapacitatē non putas ſi pecuniaſ parcis, & famam decerpis: non concupiſciſ poſſeſſioneſ, & laceraſ opinionem. Subtile utique genus rapacitatis eſt detracțio. Sed quid emolumenti confeſt detractori, alienaſ famaſ diminutio? Alienā ſi corrodiſ bona, tuum accreſciſ marsupium, ſi corrodiſ famam, tuam apud probos æſtimationem diminuiſ. Invenire eſt etiam detraetoreſ ſublimioris ingenii, qui ſi alienam famam non auident palam corrodere, corrodunt tamen, quia collaudare recuſant, & tacent, cum eſſet loquendū, loquuntur cum obſervandum eſſet ſilentium. Qui hujuſmodi ſunt, & ſi alie-

alienam famam sermone non laedunt, nisi hilomins rapiunt. Rapiunt enim, quia evidens proximi sui meritum, debito defraudant testimonio, quo fit ut debitam aliis laudem, & gloriam, licet mendacio non diminuant, aut supprimant, reprimunt tamen silentio; vulpes demolientes vineam famam, & gloriae proximi sui. Vulpes sunt, tam occultus detractor per silentium, quam manifestus per verbum contumeliosum, cui adstipulatur quicumque libenter detractores audit, & risu sardonico detrahentium excipit sensus: *Quis enim horum damnabilior sit, non facilis est decisionis.* Sic formandus est sermo noster, cum de aliis loquimur, ac si illos propè stantes, & audientes videremus: erubescere ea proferre de absente, quæ eo præsente non promereres: Detractores aut fugiendi, aut compescendi. Intendens vitæ suæ, suam discutiens conscientiam, non facile aliorum lacerat famam; ubi constat de vitio, non detrahendum, sed condolendum est. Non mores alienos reprehendere, sed prius nostros corrigere, studere debemus.

## C A P U T D E C I M U M Q U A R T U M

### S Y N O P S I S .

*Eugenium Pontificem ab avaritia vitio alienum commendat. Acceptiōnem personarum, indefesso studio vitandam esse à Superioribus docet, quorum plurimi hoc vitio laborant; facilitatem credendi, vitium esse familiare Magnatibus, insinuat: plura damna, à facilitate credendi suam trahere radicem, probat. Gratulatur demum Eugenio, quod se ab hoc vitio immunem servaverit.*

### S E C T I O P R I M A

*De avaritia non est, quod tuum fatigem intuitum, cum pecuniam tanquam paleam dicaris habere.*

**S**Olet avaritiae vitium insidiari Ecclesiasticorum calcaneo, qui ut plurimum congregant proventus, in Dei cultum, & subsidium pauperum impendendos. Quantos ad hoc inhiare cernimus, ut magis abundant. In viro seculari, desiderium habendi plus quam necesse sit, quoddam genus avaritiae est; quid dicendum in viro Ecclesiastico, si non modo plus desideret, sed congreget plusquam possidere, pro suo statu, necesse habebat; quid sentiendum de iis, qui in terris sanctorum, quas possident, iniqua gerunt, & proventibus congruis minimè contenti, superflua requirunt. O quam verissimum est, quod avaritia, præ cæteris vitiis, insidiari solet Ecclesiasticorum calcaneo. Hic D. Bernardus de avaritia incidenter sermonem facit, sciens Eugenium ab hoc vitio alienum; propterea non immoratur, noverat enim *pecuniam habere tanquam paleam*. An autem in hoc sensu abundant, sicut par esset, omnes Ecclesiastici, ipsi viderint, qui de cumulandâ pecuniâ adeò vivunt solliciti, nunquam de sua sorte contenti, semper ad pinguiora optantes beneficia, non ut magis laborent in vinea Domini, sed ut uberiores proventus valeant emungere, suos facientes fructus, quos Deo deberi, utpote vineæ Domino non ignorant. Qui hujusmodi sunt, utique non habent, tanquam paleam aurum; quandoquidem hoc cumulant in suo marsupio, ut morituri, de pingui patrimonio, suos ditare valeant hæredes. Ecclesiasticorum nepotes sunt pauperes, quibus debentur Ecclesiastici proventus, qui à sufficienti sustentatione supersunt, & in eorum dispensatione, tunc solum beneficiati suos præferre possunt parentes, cum in numero pauperum, juxta conditionem suam, esse compererint. Cæterum Ecclesiasticus beneficiis cumulatus, ita vivere debet, ut nihil ipsi pro ultima dispositione supersit, ita ut cum fine anni, etiam superabundantium fructuum, quos ex beneficio suscepit, finem fecerit, per restauratam Ecclesiam, per renovatas supellectiles, & per erogatas eleemosynas; qui sic vivunt, ut ex sui beneficii proventibus, nihil ipsis pro ultimâ dispositione super-

super sit, confiendique testamenti opus non habebunt, hi utique imitantur Eugenium, de quo scribit D. Bernardus, quod *aurum tanquam paleam habuerit*. Omnes ferè laudes, quibus commendari potest verus Ecclesiasticus, in hoc brevi elogio perstringuntur. Si de eo, pro epitaphio, sculpi possit sepulchrali in silice: *pecuniam tanquam paleam habuit*.

## S E C T I O S E C U N D A

*Non prorsus non est, quod pro illa timeatur à judiciis tuis.*

**Q**ui judicandi ministerio est addictus, nonnisi rectum proferre potest judicium, si pecuniam habeat tanquam paleam: ad hoc præcipuè attendere debent Principes, ut non modo à judiciis suis, sed etiam in judicibus suis, nihil timeri possit ob inordinatum ad pecuniam affectum, qui ut plurimum judicia solet corrumperre. Timeant omnes, sed præcipuè Ecclesiastici, ne in avaritiæ vitium irrumpant, facile enim in omnium animo insinuatur. Pauci admodum sunt, qui huic Idolo obsquium non præstent; undè Apostolus, cum à cæteris vitiis nos alienos servare hortatur, præcipuè ab avaritia alienare studet, quam asserit idolorum esse servitutem; quia sicut uni Deo idolatria nititur auferre gloriam, ne solus habeat nomen Deitatis; ita avarus solus usurpare, si posset, vellet, quæ Deus omnipotens in usum plurimorum destinavit. Utraque Deo inimica, Idolatria scilicet, & Avaritia, quia utraque Deo negat, quæ sunt ejus. Felices Populi, ubi ob inordinatum ad pecuniam affectum, nihil timere valeant in judicibus suis.

## S E C T I O T E R T I A

*Sed est, quod non minus sæpè, nec noxiè minus, infideli judicantibus solet, de quo maximè, quid in tua lateat*

*conscientiā, latere te nolim, quid illud sit queris, acceptio personarum.*

**T**Num præ cæteris vitium , quod insidiari judicantibus solet, est personarum acceptio , à quā judiciorum subversio multam trahit originem . Hinc fit, ut sæpe videamus Divites, ad sedem honoris præelectos, pauperes contemptos, quamvis in paupere, præ Divite, merita virtutis, doctrinæ, & pietatis magis effulgeant. Hinc nobiles, in concursu minus nobilium (quamvis in cæteris omnibus requisitis, dispare meritis) sublimantur. Absit, absit, ut in tabernaculis Domini, apud quem nulla est personarum acceptio, pauperibus abjectis præferantur divites, aut nobiliores ; scientes Altissimum, potius infirma Mundi elegisse, ut confunderet fortia. Impossibile est Principes non errare in electione ministrorum, sicut, & judices non declinare à veritate sententiæ, si moveantur, suis in electiōnibus, & judiciis, ab acceptance personarum : hinc semper novimus, cujusque regiminis perniciem, suam traxisse originem . Hinc etiam fit, ut exulcerentur justi, & improbè defendantur iniqui . Divites, & nobiles possunt muneribus corrumpere judices, ut eorum petitiones, licet minus rectæ, fiant acceptæ, Pauperes verò, quia non habent quod afferant, difficilius audiuntur, utinam etiam contra veritatem non opprimantur. Ubi est acceptio personarum, non potest judex attendere ad merita causarum . Sed adhuc magis horrendum veh' instat judicibus, si ad commendationem formosæ faciei respiciant ; proferent sine dubio judicia, non quæ ratio dictat, sed quæ voluntas affectat. Passio, & aviditas munerum expellantur ab animo eorum, qui Cathedras conscendent, jam procul erit omnis personarum acceptio . Quid est, quod sæpè qui præsunt, pauperum causas, cum morā negligunt, Divitum verò cum sollicitudine promovent. In illis rigorem adhibent, in istis ex mansuetudine dispensant ; illos cum difficultate recipiunt, istos faciliter tractant ; illos negligenter audiunt, istos

istos patienter auscultant, nisi quia nihil ab illis, multum ab ipsis, & timent, & sperant. Inter omnia peccata Sacerdotum, hoc certe non minus grave, si non causas, sed personas considerant. Dum propinquitatem respicimus personarum, meritum despiciimus dignitatum; multa enim nos facere cogit affectus, qui ut plurimum semper acceptator est personarum. Non sanguinis necessitudo, sed virtutis cognatio, debet distinguere personas; non personarum, sed rerum pondere judicandum est.

## S E C T I O Q U A R T A

*Non parvi te reum peccati existimes, si facies peccatorum sumis, & non prius causas judicas misererorum.*

**A** Mor, odium, & timor, nesciunt judicii veritatem; hæc sœpè faciunt, ut judices peccatorum facies sumant, & non potius causas judicent misererorum; quod utique non parvi est reum esse peccati. Triplex est judicium unum odii, quale fuit illud ab Hebræorum judicibus prolatum, contra judæorum Regem: *Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori.* Aliud timoris: *Si dimittimus eum, venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentes.* Tertium amoris, tale fuit illud Davidis clamantis: *Servate filium meum Absalon,* quamvis eum noverit præmeditati patricidii crimine gravatum; si procul semper essent à judicibus timor, odium, & amor, nunquam facies peccatorum sumerent, nec misererorum causas contemnerent; ubi partialis est Judex, alia expectari nequeunt judicia, nisi quæ peccatorum facies sumant, & causas despiciant misererorum. Quot Judices, in extrema discussione, hujus non parvi peccati Rei apparebunt, qui miseris, viuis, & orphanis neglectis, toti in divitium, & peccatorum causis discutiendis addicti, nimiam in ipsis, nullam in illis sollicitudinem adhibentes, miseros, suis in vexationibus tabescentes, neglexerunt, quos per expeditionem cau-

To. I.

T t

sæ,

sæ, à suis potuissent angustiis sublevare; quæ de re non parvi, non unius, sed multorum, & gravium peccatorum facti sunt rei: hinc enim originem suam norunt murmurations, improperia, blasphemiae miserorum, qui deinde per illicita media, suis necessitatibus ferè coacti querere subsidium, addidere peccata peccatis, quorum omnium in causa fuerunt Judices, facies peccatorum fumentes, nec prius, ut par erat, excedentes causas miserorum.

### SECTIO QUINTA

*Est item vitium, cuius si te immunem sentis, inter omnes, quos novi, ex his qui Cathedras ascenderunt, sedebis me judice solitarius: facilitas credulitatis.*

**Q**ui facilis est ad credendum, levis est corde; In hoc vitium facile impingunt, qui Cathedras ascendunt, per facilitatem credulitatis judicia sua subvertentes. Nunquam, aut per quæ raro verificata sunt dicta, quæ prima facie, in ore vulgi fama publicavit; iis non facile credendum, cum experientia comprobaverit, ut plurimum declinare in dictoria. Si per facilitatem credulitatis, primis adhærere impressionibus, prudentia permitteret, his qui Cathedras ascenderunt, satius esset facilius bona credere, quam mala, nam facilius de malis, quam de bonis sermo instituitur. Bona opera exinanire, vel abscondere, mala augere, & publicare, semper consuevit humana malitia; sed & improbo quodam instinctu, à corrupta natura nostra procedente, solent homines potius mala, quam bona, quæ de proximo circumferuntur credere. Homo sapiens, qui ad Cathedras concedit, improbum hunc naturæ nostræ stimulum, ita debet cohibere, ut nunquam ad facilitatem credulitatis declinet, hujusque calidissimæ vulpeculæ, semper studeat cavere versutias. Satius est eos, qui Cathedras ascenderunt, lentius judicia sua proferre, quam per facilitatem credulitatis causas discutere. Ubi præventio locum ha-

habeat in mente Judicis, non potest non abscedere æquitas à suis judiciis.

## S E C T I O S E X T A

*Inde in eis ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium, frequens addictio, inde præjudicia in absentes.*

**E**X facilitate credulitatis iræ multæ pullulant, frequens innocentium addictio conspicitur, præjudicia in absentes originantur. Ira etiam sapientium intellectum obnubilat, dicente Psalmista: *Turbatus est præ furore oculus meus*: Tanto quisque convincitur minus sapiens, quantò est minus patiens; si aliquando contingat sedentem in Cathedra irasci, irasci debet juxta quod scriptum est: *Irascimini, & nolite peccare*. Peccat autem Superior, sive nimis, sive nihil irascendo. Siquidem Superiorem non irasci, ubi justè irascendum sit, idem est ac nolle emendare peccatum: plus vero irasci, quam par sit, est addere peccata peccatis: Judge non modò justum, sed justè judicare tenetur.

## S E C T I O S E P T I M A

*Gratulor autem tibi (nec enim assentationis apud te vereor incurrere notam). Gratulor inquam præsidere te usque adhuc, absque horum omnium querela multa: an, & sine culpa, tu videris.*


**N**ota erat universo orbi Catholico Eugenii sanctitas; nemini latebat, quam largus esset in eleemosynis, quam parcus sibi, quam circumspectus, & rectus suis in judiciis, quam oculatus, & gravis sua in administratione, quam liberalis, quam alienus à personarum acceptione. Meritò itaque Gratulatur S. Bernardus Eugenio, omnibus numeris Pontificium ministerium absolventi. Gratulor inquam

quam præsidere te usque adhuc , absque horum omnium quærela multà , an & sine culpa , Tu videris . Præsidere absque subditorum quærela , commendabile est ; sed & multò commendabilius præsidere sine culpa ; sæpe enim subditorum timor , & reverentia dissimulat quærelas , quæ mortuo Superiori fortius invalescunt , eò quod quamvis sine quærela apud homines , non tamen sine culpa apud Deum præfuerit . Qui Cathedras descendunt , in suo regimine , non modo coram hominibus , sed etiam coram Deo , qui scrutatur corda , justificati præsideant . Quæ sine quærela sunt apud homines , non semper sine culpa sunt apud Deum .


## SECTIO OCTAVA


*Nunc ad ea , quæ sub te , consideratio intendenda ; At alterius principii hoc , siquidem tuis occupationibus , sermo brevior competentior est ,*

**C**Um in Libris de Consideratione S. Bernardus disserere proposuerit coram Pontifice de his , quæ sunt intra , quæ extra , quæ infra , & quæ supra Pontificem . Postquam in duobus primis Considerationis Libris , de his quæ intra occurrunt sermonem absolvit ; super ea , quæ sunt infra Pontificem , sive sub Pontifice , sermonem instituere aggreditur . Unde tertium Considerationis Librum exorditur . Melliflui Doctoris zelo , adhuc plura supererant dicenda de his , quæ sunt intra Pontificem . Sed cum Oratoris prudentia debeat Auditoris conditioni , & statui esse accomoda ; Pontificis occupationibus , breviorem sermonem , melius competere , noverat S. Bernardus , factus Orator utique non minus disertus , quam discretus ; sui brevitate sermonis Oratores instruens , non debere prolixioribus eloquiis sermonem facere , quandcumque ad Pontifices , & Reges , sive Ecclesiasticos , vel Sæculares Proceres , eorum sermo dirigitur . Longa eloquia texere coram Superioribus , vix absque nota temeritatis fieri potest . Tantus sit sermo , quantum necessitas exigit , non quantum facundia suggestit .









Sight.

Est. 52

Tab. 2

Nám. 7

S.  
BERNARD  
CONSOLIDATED  
T.L.

+

1711  
4192